# DE TITULIS
# ATTICÆ CHRISTIANIS
## ANTIQUISSIMIS

## COMMENTATIO HISTORICA ET EPIGRAPHICA

---

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

C. BAYET

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS, GALLICÆ ROMÆ ET ATHENIS
SCHOLÆ NUPER SOCIUS

---

Accedunt Tabulæ sex titulorum imaginem exhibentes

---

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD E. THORIN, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DE MEDICIS, 7

1878

Bibliothèque Maison de l'Orient
175258

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO

G. PERROT

GRATI ANIMI TESTIMONIUM DICABAT

AUCTOR

# PRÆFATIO

Ut primum ad antiquitatum christianarum studium me contuli, hoc sæpe in animo habui ut græcos fidelium titulos antiquissimos colligerem. Obtinent quidem locum in *Corpore inscriptionum græcarum*[1], ita tamen ut in supplementi loco adhibiti potius videantur nec peculiari cura illustrentur. Hoc autem maxime reprehendendum censeo quod byzantinis admiscentur, a quibus omnino diversi sunt[2]. Ea enim regula uti de-

[1] Vol. IV, fasc. II.

[2] Cf. Egger, *Journal des Savants*, mars 1871.

bet quisquis rei epigraphicæ studet, ut recordetur se iisdem legibus teneri quibus historiarum scriptor regitur : itaque, ut in annalium compositione, observandæ sunt temporum morumque varietates, ne omnia confuse permisceantur.

Nec tamen de hac *Corporis inscriptionum græcarum* parte severius judicare velim, quum maximam doctis utilitatem, quamvis imperfecta, præbuerit. Sed recentioribus annis adeo crevit christianorum in Oriente titulorum numerus[1], ut in gravissimos incidat errores qui hoc uno subsidio contentus esse velit[2]. Optandum est igitur ut peculiare quoddam suscipiatur opus, in quo omnes hæ inscriptiones, quæ quidem septimo circiter sæculo antiquiores sint, edantur. De utilitate supervacaneum est dicere; neminem autem doctum fugit quantæ huic incepto inhæreant difficultates, quum Oriens christianus adhuc pæne ignotus sit, et eos ipsos qui exstant titulos inspicere sæpissime non liceat.

Sed, ut ab hoc graviore consilio ad humiliorem cu-

[1] Cf. præsertim Le Bas et Waddington, *Voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure;* Perrot, *Mission de Galatie;* Dumont, *Inscriptions de Thrace;* Renan, *Mission de Phénicie*, etc , etc.

[2] Sic erravit in recenti dissertatione Ritter, *de Compositione titulorum christ. sepulcr. in C. inscr. gr. editorum*, Berolini, 1877.

ram redeam, visum est pæne desperati operis fasciculum proferre. Atticas igitur inscriptiones collegi; megarenses quoque adjeci, quum eæ in ipso, ut ita dicam, Atticæ limine inventæ consimiles plane esse videantur. Nec meos quidem atticos titulos plus justo commendare velim : rari sunt enim et breves, quamquam antiquitatis christianæ particulam quamdam in eis esse censeo. Prolegomena addidi, quum historica, tum epigraphica, ita ut ecclesiæ Atheniensium gesta breviter indicem priusquam de titulorum indole disseram. Quod ad hos ipsos spectat, fateor me utilissimum subsidium hausisse ex opere Kumanudis, eruditissimi viri[1], qui hæc epitaphia pleraque jam edidit, sed minuto charactere expressa et commentariis destituta. Lapides igitur ipse inquisivi et descripsi, ita ut doctis non modo titulum, sed ipsam plerumque tituli imaginem suppeditarem. Licuit etiam ineditos nonnullos proferre, tum e meis studiis, tum e schedis quas Koumanoudis, ea qua notus est benignitate, mecum communicavit.

[1] Ἐπιγραφαὶ Ἀττικῆς ἐπιτύμβιοι, 1871.

# PROLEGOMENA

# PARS HISTORICA

## CAPUT I

### DE ORIGINE ET PRIMORDIIS ECCLESIÆ ATTICÆ

S. Paulum christianam doctrinam Athenas intulisse ipsa apostolorum Acta testantur [1]. Videtur quidem in Atticam non certo consilio advenisse, sed ut Silam et Timotheum, operum et itinerum socios, exspectaret. Efferbuit autem, ut primum Athenienses idololatriæ adeo deditos cognovit, et ubique innumera templa ac longa statuarum agmina conspexit. Paulum ea etiam ratione Athenis mansisse crediderim quod Judæos plurimos ibi in-

[1] Act. XVII, 15 et seq.

veniebat. Quamvis enim multa a Judæis perpessus esset, iisque instigantibus, sæpius ex urbibus expulsus esset, eo docendi ordine semper utebatur ut in synagoga Christum prædicaret, priusquam se ad gentiles converteret.

Judæorum collegium Athenis exstitisse ex Agrippæ testimonio liquet, in epistola quam ad Caium supplex misit[1]. Athenis præterea reperti sunt tituli judaici[2], et in ipsis apostolorum Actis de synagoga agitur in qua Paulus verba fecisse dicitur. Imo sine odio acceptus esse videtur : nihil enim de Judæorum qui Athenis erant in Paulum malevolentia Scripta sacra proferunt[3].

Orationes autem quas postea apud gentiles habuit multi jam commentati sunt, ita ut hoc argumentum iterum tractare nolim. Inquirendum tamen est quas ob causas comprehensus sit et ad Areopagum traductus. Obscura enim sunt quæ ad exterarum religionum in Attica professionem spectant, ita ut de lege a Josepho et Servio relata etiam disputetur[4]. Apparet autem, si de legibus ad historias transiverimus, Athenienses se hac in re humanissimos sæpius exhibuisse. Erant enim

1 Philo, *Legatio ad Caium.* — De Semitis Hebræisque in Attica, v. Dumont, *Essai sur l'éphébie attique*, t. I, p. 112 et sqq. — De noto Atheniensium in Hyrcanum decreto supervacaneum est dicere, quamvis Athenienses commercium habuisse cum Judæis probet : v. Josephi *Antiq. Jud.*, l. XIV, c. VIII.

2 V. infra titulos, n. 121 et seq.

3 Act., c. XVII, 17. Quanta alibi pertulerit a Judæis eadem Acta sæpius demonstrant : c. XIII, 45-52; XIV, 2 6; XVII, 5-10, 13.

V. præsertim Foucart, *Des associations religieuses chez les Grecs*, Daremberg et Saglio, *Dictionn. des antiq. grecques et latines*, s. v. Asebeia.

in Attica deorum orientalium cultores plurimi, quos maxima libertate usos esse scimus, ea conditione ne in patria Athenarum numina solemnesque ritus inveherentur. Paulum igitur crediderim in agora non tantum Christum extulisse, sed Atheniensium deos, id est civitatem ipsam, aggressum fuisse, ita ut impietatis crimen non vitaret, quod Athenis ἀσεβείας γραφή dicebatur.

Norunt omnes quam callide in Areopago Paulus locutus sit, ipsa philosophorum verba nonnunquam mutuatus, eoque dicendi genere usus quod apologiarum auctoribus familiarissimum fuit. Quod si ludibriis lacessitus est videturque a judicibus tanquam vesanus dimissus, id non ipsius orationis generi, sed ἀναστάσεως professioni jure imputabis. Quantum enim in hoc dogma gentiles Athenis etiam postea coorti sint, amplius infra dicam. Videtur autem Paulus hæc ludibria ægerrime tulisse Corinthumque haud multo post petiisse, quem sibi itineris finem e Macedonia proficiscens destinaverat. Nec peculiarem ullam epistolam ad Athenienses misit, quamquam eos etiam aliqua ex parte designant hæc verba, initio secundæ ad Corinthios epistolæ : « cum sanctis omnibus qui sunt in universa Achaia[1]. » Nonnullos tamen neophytos ad fidem converterat, quorum celeberrimus ille fuit Dionysius areopagita de quo tantæ controversiæ exortæ sunt[2].

[1] Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ. (v. 1.)

[2] Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευσαν, ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ ἀρεοπαγείτης καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς. *Acta Apost.*, XVII, 34.

Non equidem referam argumenta quibus doctissimi quique fabulas dionysianas optime refellerunt : jampridem enim acta est causa[1]. De Dionysii vero conditione nihil est cur dubitemus, quippe quæ nobis ipsius Lucæ verbis nota sit. Exstant quoque Eusebii verba qui Dionysii mentionem historiæ suæ bis inseruit, quamquam hoc duplex testimonium ex eodem fonte manat, id est ex illa Dionysii corinthii epistola quam ad cognoscendas atticæ ecclesiæ origines utinam integram haberemus[2]. Quod si priorem Eusebii locum perlegeris, id est episcoporum seriem ab apostolis ordinatorum, extemplo animadvertes Dionysii areopagitæ nomen huic seriei quasi adjectum fuisse, ita ut libenter suspicer hanc ipsam ex Hegesippo Eusebium transcripsisse, eamque, quod ad areopagitam spectat, Dionysii corinthii testimonio supplevisse. Hæc conjectura verbis ἐπὶ τούτοις et ἐκεῖνος firmari mihi videtur : veteres igitur ipsos scriptores pauca admodum de Dionysio nostro collegisse apparet.

Post Eusebium vix unum aut alterum prioribus sæculis invenias qui Dionysium memoret. Neque enim novi quidquam afferunt apostolica Constituta[3]; quod vero ad Johannem Chrysostomum pertinet qui Dionysii conjugem

[1] De controversiarum summa v. *Acta SS. Octobris*, p. 696-855; Fabricius, *Bibl. græca*, ed. Harles, t. VIII, p. 7 et seq. — De fabuloso autem Hierotheo supervacaneum est dicere, quippe qui scriptis Dionysio affictis p imum no us sit, nec ab antiquis memoretur.

[2] *Hist. eccl.*, l. III, c. IV; l. IV, c. XXIII.

[3] L. VII, c. XLVI.

memorat[1], suspicor magnum illum oratorem scriptoris sacri verba arctiore sensu intellexisse, et Damarin non fide tantum, sed matrimonio Dionysio conjunctam credidisse. Quamobrem existimare licet omnia quæ nobis de areopagita tradita sunt, ab Actis apostolorum aut a Dionysii corinthii epistola pendere, ante hoc sextum sæculum, quo fabulosa Dionysii historia fingi cœpta est.

Tacent item veteres de aliis illis neophytis quos fidem christianam, Paulo hortante, accepisse scimus[2]. Hoc silentium vehementer doleo : nulla est enim urbs in qua nascentis ecclesiæ antiquissima primordia doctorum animadversione digniora videantur. Credendum est tamen nonnunquam ex Oriente aut ex Italia christianos Athenas appulisse, qui novæ doctrinæ victorias nuntiarent et fratrum spes foverent; Apollonemque illum ex horum numero fuisse puto[3] qui Achaiam haud multo post Paulum invisit[4].

Hactenus de Dionysii vita et de ecclesiæ origine. Quod si ulterius progredimur, præsto sunt quædam de areopagitæ martyrio testimonia, quod ad initia Hadriani imperatoris, Aristide de quo mox dicemus auctore, martyrologia referunt[5]. Aristidis testimonium recusare nemo est qui velit,

[1] *De sacerdotio*, l. IV, c. VII.

[2] Græcorum enim menæorum testimonium de Phlegone, Pauli discipulo et Marathonis episcopo facto, valde incertum est : Lequien, *Oriens christianus*, t. II, p. 203.

[3] *Acta apost.*, c. XVIII, 27.

[4] De S. Philippo, Athenarum apostolo, nihil dicam, quippe quum fabulam istam medio ævo ex aliqua nominum confusione natam esse manifestum sit : Tischendorf, *Acta apost. apocrypha*, p. 95 et seq.

[5] *Martyr. romanum vetus*, ad v nonas octobris, et martyrologia alia quæ ex isto pendent.

quum Dionysii æqualis fuerit, sed deperdita sunt ejus scripta, multique contenderunt martyrologiorum auctores veteris scriptoris verba corrupisse[1] Dionysiique mortem ad Domitiani ætatem referendam esse. Objiciunt præsertim provectiorem annis Dionysium fuisse quam ut vitam usque ad Hadriani tempora produxerit. Sed non desunt exempla quæ proferamus : scimus enim Symeonem, Cleopæ filium, Trajano imperante, martyrem fuisse[2], Judæque filios usque ad idem tempus vixisse[3]; Polycarpum præterea smyrnensem, apostolorum discipulum, anno tantum 155 trucidatum esse[4]. Quæ quum ita sint, nil obstat quin testimonium supra laudatum pro sincero habeamus[5]. Annum vero martyrii definire difficilius est, quamquam a. circiter 124 transgredi nolim. Incerti sunt etiam varii martyrii casus, incertum proconsulis nomen, quod in Achaiæ fastis nondum invenitur[6].

[1] Recentius Otto amanuenses errasse etiam arbitratus est : *Corpus apologetarum*, t. IX, p. 345-346, V. præterea Sirmond, *De duobus Dionysiis*, c. VIII; Tillemont, *Mém. d'hist. eccl.*, t. II, p. 134, etc.

[2] Euseb., *Hist. eccl.*, l. III, c. XXXII, ubi verba Hegesippi refert. Erat autem Symeon annos centum ac viginti natus.

[3] *Id.*

[4] *Idem*, l. IV, c. XV; l. V, c. XX; Ruinart, *Acta sincera*, ed. Veronæ, p. 24 et seq.; Waddington, *Mémoire sur le rhéteur Aelius Aristide*, *Mém. de l'Acad. des Inscr.*, t. XXVI, p. 203, 232.

[5] Hæc opinio Byæi, Schelstratii aliorumque auctoritate nititur : *Acta SS. octobris*, p. 788-789; *Antiq. eccl. illustr.*, pars II, dissert. III, etc.

[6] Proconsulum Achaiæ series ea ætate maxima ex parte latet : cf. Hertzberg, *Gesch. Griechenlands unter der Herrschaft der Römer*, t. II, p. 355.

## CAPUT II

### DE APOLOGIARUM APUD ATHENIENSES AUCTORIBUS ET DE IIS QUÆ CHRISTIANIS ACCIDERUNT USQUE AD CONSTANTINUM

Publius, quem episcopatum tenuisse post Dionysium scimus, uno nobis Dionysii corinthii testimonio notus est[1]: sunt autem qui eum Publium illum esse crediderint cujus patrem in insula Melita Paulus sanavit[2]. Qui, quum ecclesiam brevissimum tempus rexisset, martyrium etiam obiit, ita ut manifestum sit, ipso teste Eusebio, christianam Athenarum fraternitatem tunc vehementissimis vexationibus oppressam esse[3].

[1] V. Eusebium ad loc. laud.— Narcissum Dionysio successorem unus Hippolytus portuensis assignat: *Hippolyti op.*, ed. Fabricius, App. ad vol. I, p. 42; Baronius, *Ann. eccl.*, ad ann. 58 et ad ann. 98.

[2] *Act. Apost*, XXVIII, 7. Cf. Ellissen, *Zur Gesch. Athens.*, p. 55.

[3] *Hist. eccl.*, l. IV, c. XXIII. Valesii ad hunc locum notam omnino rejiciendam censeo, qua omnia subvertit. Dionysium corinthium in hac epistola ab

Sedatus est aliquantisper persecutorum furor a. circiter 123 aut 124. Epistolam enim ad imperatorem Q. Licinius Silvanus Granianus, provinciæ Asiæ proconsul, miserat qua christianorum partes tuebatur. Anno sequente rescripsit Hadrianus tum ad Q. Minucium Fundanum, mitem sane virum et Plinio amicum [1], tum ad alios etiam provinciarum præsides. Exstat apud Eusebium rescriptum illud, quod fictum esse nonnulli contenderunt : ea tamen indole est ut non rejiciendum mihi videatur [2]. Eo ipso anno Orientem peragravit imperator Athenisque commoratus est [3]. Fertur etiam, ea animi curiositate impulsus qua omnia inquietus scrutabatur, eleusiniis mysteriis interfuisse, quamquam primos tantum initiationis gradus transgressus tunc videtur [4]. Quod si Hieronymo credimus, violentius hac ipsa occasione gentilium furor exspatiatus est [5]. Quadratus ergo, qui tunc epis-

Eusebio laudata rerum omnium seriem memorasse arbitror quæ in ecclesia attica gestæ fuerant : sic de Publio itemque de Dionysio areopagita mentionem fecit, qui tamen plurimis jam ante annis mortui erant.

1 De hac chronologia multum disputatum est. Ut eos tantum memorem qui recentius inscriptionum testimonio usi sunt, Cavedonius Borghesiusque Fundanum annis 121 vel 122 assignarunt : *Cenni cronologici...*, in *Memorie di religione, di morale, di letteratura;* Mutinæ, 1855, p. 327 et seq. Sed Waddington annos 124, 125 probabiliores esse, proconsulum serie rectius ordinata, demonstrat : *Fastes de la province d'Asie*, n. 128, 129.

2 Euseb., *Hist. eccl.*, l. IV, c. IX, XXVI.

3 De hoc itinere v. Hertzberg, *Op. cit.*, t. II, p. 315-317.

4 Dio Cassius, l. LXIX, 11 ; Spartianus, c. XIII, etc. V. Fr. Lenormant, *Inscriptions d'Éleusis*, p. 175 et seq., qui de hoc argumento accurate disseruit.

5 « Invisens Eleusina et omnibus pene Græciæ sacris initiatus, dedit occasionem his qui christianos oderant, absque præcepto imperatoris, vexare credentes. » S. Hieronymi *De viris illustribus*, c. XIX.

copatu fungebatur, communi fidelium periculo motus, libellum imperatori obtulit in quo christianorum defensio suscipiebatur. Eo etiam tempore Aristides quidam philosophus Atheniensis, qui se ad Christum converterat, apologiam aliam composuit [1]. At illa scripta deperdita sunt, si breve admodum Quadrati operis fragmentum exceperis; notandum est tamen antiquissimos apologiarum auctores ipsis Athenis exstitisse.

Haud equidem nego difficile esse certum aliquid de his statuere, quum hinc apologiarum, illinc rescripti ad Q. Minucium Fundanum ordo et tempora inter se non recte concordent [2]. De ipso Quadrato pauca admodum scimus, ita ut dubium sit quid de Eusebii testimonio judices videanturque duo exstitisse Quadrati ea ætate insignes [3]. Apologia prioribus sæculis servabatur [4]: fragmentum au-

1 S. Hieron., *l. c.* et *Epist.* 10 *ad Magnum*. Eusebius de loco ubi apologiæ oblatæ sunt silet : *Hist. eccl.*, l. IV, c. III.

2 Tradit tamen Hieronymus *(loc. cit.)* Quadrati apologiam rescripti occasionem fuisse, itemque Georgius syncellus (p. 658) qui eusebianum chronicum transcripsit. Nec contra ordinem videtur Minucium Fundanum proconsulem etiam fuisse eo anno 126 quem Hieronymus verbis « hieme peracta » indicat. Animadvertes Quadratum, Eusebii et Hieronymi testimonio, de præsenti persecutione loqui, nec facile credas imperatoris præcepta in ipsa provincia in qua commorabatur fuisse neglecta.

3 Cf. Tillemont, *Op. cit.*, t. II, p. 631 ; Papebroch, *Act. SS. maii*, t. VI, p. 357-360 etc., recentissimumque editorem apologetarum Otto, *Corpus apol.*, t. IX, p. 338, quem quidem Græcorum menæis nimiam auctoritatem tribuisse puto. Quod ad me attinet, duos Quadratos exstitisse arbitror quorum alter in Asia, alter Athenis vixerit. — De Petri Halloixii Quadrati vita in *Illustr. eccl. orient. script.* et de elucubrationibus Fanelli in *Atene Attica* supervacaneum est dicere.

4 Photii *Bibl.*, ed. Bekker, p. 106. Cf. Fabricius, *Bibl. græca*, ed. Harles, t. VII, p. 154.

tem quod superest apud Eusebium invenitur[1]; e quo constat Quadratum Christi vitam memorasse et multum contendisse, ut quæ de miraculis ejus tradita erant vera esse ostenderet; adjiciebat etiam plurimos ex illorum numero, quos Christus sanaverat, usque ad sua tempora vitam produxisse. Aristides autem, quem eodem defensoris officio functum esse scimus, philosophorum habitum, teste Hieronymo, retinuerat[2]. Videtur enim Christi doctrina eo tempore plurimos ingenio præstantissimos viros e gentilis philosophiæ scholis ad se adduxisse, non Alexandriæ tantum, sed etiam Athenis[3].

Scimus Aristidis apologiam sententiis philosophorum refertam fuisse[4], quem quidem disserendi probandique modum plerosque ejus ætatis christianos scriptores adhibuisse omnes sciunt. Aristidis opus apud multos adservatum esse tradit Eusebius, quamquam se illud in manu habuisse aperte non affirmat[5]. Hujus autem auctoritate usos fuisse hagiographos, qui Dionysii martyrium retulerunt, vidimus, unde existimare licet Aristidem nonnulla de origine ecclesiæ atticæ dixisse. Fortasse usque ad proxima etiam

[1] *Hist. eccl.*, IV, 3.

[2] Aristides Atheniensis, philosophus eloquentissimus et sub pristino habitu discipulus Christi... *De viris illustr.*, c. xx.

[3] Cf. etiam *Lib. pontific.*, ad Anencletum, ad Hyginum, ad Systum; sed hæc testimonia obiter memoro, quippe quæ fide minime digna sint.

[4] « Contextum philosophorum sententiis, quem imitatus postea Justinus et ipse philosophus » Hieron., *Ep. 70 ad Magnum.*

[5] « Σώζεται δέ γε εἰς δεῦρο παρὰ πλείστοις καὶ ἡ τούτου γραφή. » *Hist. eccl.*, IV, 3. Hieronymus autem : « Quod usque perseverans apud philologos ingenii ejus indicium est. » *De viris ill.*, c. xx.

sæcula integra supererat : viator enim quidam gallicus se Aristidis apologiam in attico monasterio vidisse tradidit [1]; sed hunc tanti pretii codicem nostra ætate Otto frustra quæsivit [2], neque mihi nuper ut invenirem contigit.

Manifestum est igitur Athenas ea ætate viros nonnullos protulisse qui inter clarissimos ecclesiæ orientalis doctores eminuerunt. Sequentibus autem annis, christianos iterum atque iterum lacessitos fuisse recte conjicies. In ea enim apologia quam Melito sardianus ad M. Aurelium misit, Antoninum scripsisse refert de christianis ad universos Græcos, sed nominatim ad Larissæos et Thessalonicenses et Athenienses [3]. Prohibebat autem ne gentiles adversus christianos tumultus concitarent. Namque in civitatibus popularia odia facilius effervescebant, nec dubium est quin seditio aliqua exorta sit, ad quam improbandam Athenienses singulariter imperator carpserit.

Paucis post annis novum fortasse fidei defensorem attica ecclesia exhibuit. Etenim in manuscriptis codicibus qui Athenagoræ legationem et de resurrectione librum continent, hic titulus invenitur : Ἀθηναίου φιλοσόφου χριστιανοῦ [4]. Sed de Athenagoræ vita nullum superest testimonium, quod fide dignum vi 'catur; ipsa autem ejus

[1] In monasterio Medelli (?) : de la Guilletière, *Athènes ancienne et nouvelle*, Paris 1675, p. 146.

[2] *Corpus apolog.*, t. IX, p. 343.

[3] Euseb., *Hist. eccl.*, l. IV, c. XXVI; *Spicilegium. solesm.*, t. II, p. LVI

[4] Sic in codice parisiensi itemque in estensi qui sæculo decimo scripti videntur : Otto, *Op. laud.*, Prolegom. ad Athen., p. XIX ; Cavedoni, *Opusc. di Modena*, 1858, p. 395, nota.

scripta frustra perleges, si de patria officioque edoceri cupis[1]. Illud tamen resurrectionis dogma, Athenis a gentilibus maxime derisum, Athenagoram peculiari quodam studio demonstravisse animadvertas. Incertum est igitur quo ex fonte hanc notitiam amanuensis hauserit, exspectandumque est felix aliquid anecdotum, priusquam Athenagoram Athenis sine dubio adscribamus.

Tertio autem sæculo, rara sunt admodum documenta quæ ecclesiæ atticæ mentionem faciant. In hoc autem juvenum numero, qui ex omnibus imperii regionibus Athenas petebant, plurimos christianos fuisse censeo[2]. Scimus enim, exempli gratia, Ponticos multos inter hos advenas fuisse, ita ut Philostratus attici sermonis sonum *θρᾴκια καὶ ποντικὰ μειράκια* corrupisse dicat[3]. Ipsam autem hanc Ponti provinciam christianis refertam esse, Luciani testimonio, compertum est. Narrat idem Lucianus Alexandrum mysteria instituisse, initioque cærimoniarum hanc formulam, *ut Athenis*, declamasse : « Ut omnis atheus, christianus vel epicureus, qui mysteria sua scrutari vellet, ab hoc loco pelleretur[4]. » Sed, quo sensu hæc intelligam, dubium mihi videtur.

Ea autem ætate, maximus ille Origenes, totius ecclesiæ orientalis lumen, Athenas non semel adiit. Videtur etiam,

[1] V. Marani præf., in Migne *Patr. gr.*, t. VI, p. 182 et seq.

[2] Hertzberg igitur de compositione ecclesiæ atticæ haud recte conjecisse puto : *Op. laud.*, t. III, p. 134-135.

[3] *De vita sophist.*, l. II, c. 1.

[4] Καὶ ἐν μὲν τῇ πρώτῃ πρόρρησις ἦν ὥσπερ Ἀθήνῃσι τοιαύτη· εἴ τις ἄθεος χριστιανὸς ἢ ἐπικούρειος ἥκει κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω, κ. τ. λ. *Alexander*, c. 38.

biennio prius ibi commoratus, philosophorum scholas frequentasse; post ibidem suos in Ezechielem commentarios ad finem perduxit, commentarios autem in Canticum canticorum inchoavit[1]. Imo etiam, in suis contra Celsum libris, divinam Atheniensium ecclesiam maximis laudibus effert, eamque cum civili *ἐκκλησίᾳ* comparat[2]. Quamquam eadem de Alexandria Corinthoque dicit, dignum hoc testimonium censeo cujus aliquam rationem habeas, quippe quum Origenes de eis civitatibus loquatur quas ipse inviserit. Postquam a Demetrio episcopo lacessitus est et a plurimis improbatus, nihilominus ejus partes Achaiæ presbyteri tenuerunt[3]. Athenis etiam fuit inclitissimus unus ex Origenis discipulis, ponticus Gregorius, qui Thaumaturgus postea dictus est. Scribit Socrates hujus memoriam Athenis fuisse celebrem, ubi juvenis studuerat[4], eumque Eusebius græcis romanisque disciplinis nimium deditum fuisse refert, priusquam Origeni sese discipulum adhibuisset[5].

De his autem persecutionibus quibus, tertio sæculo aut ineunte quarto, attica ecclesia vexata sit, pauca admodum scimus. Inveniuntur tamen in menologio basiliano Heraclii, Paulini, Benedimi nomina,

[1] Euseb., *Hist. eccl.*, l. VI, c. XXXII. V. Huetii *Origenian.*, l. I, c. II, III.

[2] Ἐκκλησία μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ, φέρ' εἰπεῖν ἡ Ἀθήνησι πραεῖά τις καὶ εὐσταθής, ἅτε Θεῷ ἀρέσκειν τῷ ἐπὶ πᾶσι βουλομένη· ἡ δ' Ἀθηναίων ἐκκλησία στασιώδης καὶ οὐδαμῶς παραβαλλομένη τῇ ἐκεῖ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. *Contra Celsum*, l. III, c. 30.

[3] Rufini *Apolog.* II; Photii *Biblioth.*, Cod. 118.

[4] *Hist. eccl.*, l. IV, c. XXVII.

[5] *Hist. eccl.*, l. VI, c. XXX.

quos, quum fidem christianam prædicarent, comprehensos fuisse et ad « præsidem Athenarum » traductos hagiographus refert, posteaque cæsos et tormentis excruciatos, in ingentem ignis fornacem projectos esse[1]. Eadem fere in aliis Græcorum menæis referuntur[2]. Sed hæc quo anno acciderint incertum est, quamquam Ellissen de ætate Decii cogitavit[3]. Alii sane Athenis exstiterunt martyres quorum memoria periit : sic et in Africa recentissime martyrum nonnullorum tituli detecti sunt, de quibus scriptores omnino tacent[4]. In Attica autem, libenter conjiciam fideles plurimos ad metalla condemnatos fuisse, quam pœnam sæpius in christianos decretam esse testatur Eusebius[5]. Secundo enim sæculo, Dionysius, corinthius episcopus, ad Soterem Romæ episcopum scribit, ut romanam ecclesiam laudet, quæ subsidia ad orientales christianos hac pœna vexatos mittebat[6].

De Leonide vero, quem nonnulli ea ætate episcopum et martyrem fuisse censuerunt[7], nihil affirmare velim, quum nisi disticho quodam in menæis inserto non notus sit, ibique nil omnino de martyrio legatur[8]. Leonidem

[1] *Menol. bas.*, ed. Urbini, t. III, p. 100
[2] *Acta SS. maii*, t. III, p. 454.
[3] *Zur Gesch. Athens.*, p. 119.
[4] De Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1875, p. 162 et seq.
[5] V. de hoc argumento luculentam dissertationem : *Ibidem*, 1868, p. 17 et seq.
[6] Euseb., *Hist. eccl.*, l. IV, c. XXIII.
[7] Ellissen, *Op. laud.*, p. 132 ; Hertzberg., *Op. laud.*, t. III, p. 219.
[8] *Acta SS. aprilis*, t. II, p. 378.

autem recentiori ætati Le Quien in suo catalogo assignat, eaque verba prudentissime adjicit : « Leonidis ævum nulla mihi via compertum fuit [1]. »

[1] *Oriens christianus*, t. II, p. 171

## CAPUT III

### DE ECCLESIA ATTICA INDE AB INITIO QUARTI SÆCULI USQUE AD SEPTIMUM SÆCULUM

Quæ, pace ecclesiis per Constantinum reddita, christianorum in Attica fata fuerint, scitu maxime dignum erat : ibi enim, in hoc veterum religionum artiumque proprio, ut ita dicam, domicilio, diutius gentilium numinum cultum viguisse nemo est qui miretur. Quod ad philosophorum scholas quæ ea ætate fuerunt attinet, præsto sunt documenta plurima quæ memorare supervacaneum est ; christianorum autem mentio raro occurrit.

Notum est, medio quarto sæculo, Gregorium et Basilium juvenes Athenas appulisse, et easdem ac Julianum scholas frequentasse[1]. Sex etiam aut septem annos

[1] S. Gregorii *Carmen de vita sua ; Oratio XLIII, de magno Basilio*, c. XVI et seq.

in hac urbe mansit Gregorius, ab anno 350 usque ad a. 356 vel 357 [1]. Narravit ipse, sibi ac Basilio duas tantum vias fuisse notas : alteram quæ ad ecclesias christianorum, alteram quæ ad scholas duceret, ubi Himerius et Prohæresius docebant. Dolendum est quod nihil fusius de his ecclesiis Gregorius dixit, nihil de fratribus episcopisque. Scimus tantum, sed aliis testimoniis, Pistum, Atheniensium episcopum, nicænæ synodo interfuisse, itemque sardicensi Tryphonium marathonium Alypiumque megarensem [2]. Athenas autem Gregorius magnopere dilexisse videtur, eamque, qua tunc fruebatur, eloquentiæ famam libenter commemorat. Quin etiam decedentes ab Attica Gregorium Basiliumque magistri ac condiscipuli retinere conati sunt. Profectus est firmior Basilius, mansit Gregorius, ita tamen ut paulo post, amici parentumque desiderio pressus, furtim abiret.

Non dubium est quin christiani juvenes plurimi Athenis, ea ætate, eadem ratione vixerint. Erat enim inter sophistas christianus ipse Prohæresius, qui bene dicendi gloria inter ceteros longe eminebat, quamquam Eunapius, gentilium numinum fautor tenacissimus, Prohæresium Christi doctrinæ adhæsisse vix fatetur [3]. Non tamen Mamertino crediderim qui, turgido panegyricorum apparatu, gentilem cultum, medio quarto sæculo, Athenis exstinc-

[1] *Vita sancti Gregorii*, edit. Bened. S. Mauri, p. LXXXVIII-XCI.
[2] Le Quien, *Oriens christ.*, t. II, p. 170, 204, 20[illegible].
[3] Ἐδόκει γὰρ εἶναι χριστιανός, *in Prohæresium.*

tum fuisse contendit, scilicet ut Julianum majoribus laudibus efferat[1]. Hic autem, ubi ad imperium evectus est, epistolam ad senatum populumque Atheniensium misit, qua suum erga numina cultum profiteretur, sed ne ibi quidem suum consilium prospere perfecit. Ut enim christianis profanis studiis interdixit, Prohæresius ipse docendi finem fecit, quamquam eum ab hac iniqua lege eximere Julianus volebat[2]. Socrate autem teste, gentilium furor Athenis ea ætate vehementius efferbuisse videtur[3].

Mortuo Juliano, gentilium numinum cultu non interdictum est. Imo peculiari quadam libertate fruebantur Athenæ, namque anno 365, vetitis a Valentiniano magicis artibus, Prætextatus, Achaiæ proconsul, obtinuit ut eleusinia mysteria more solito celebrarentur[4]. Anno 375 sacrificia Minervæ publice facta esse scimus[5]. Anno autem 396 eleusinium templum a Gothis dirutum est. Annis 423 et 439 asperiora prolata sunt edicta. Anno 432, quo Proclus Athenas appulit, nisi furtim gentiles sacra sua non colebant, moxque ipsa Minervæ statua e Parthenone ablata est[6]. Mansit tamen attica schola donec, Justiniano imperante, pæne sublata est[7]; sed jam antea

[1] *Panegyr. vet.*, ed. Jager, t. I, p. 147.
[2] Eunapius, *loc. cit.*; *Chronicon Eusebii*, ed. Migne, t. I, p. 594.
[3] *Hist. eccl.*, l. III, c. XIII.
[4] Zosimi, *Hist.*, IV, III.
[5] *Id.*, IV, c. XVIII.
[6] Marinus, *Vita Procli*, c. XI, XIX, XXIX, XXX.
[7] Hertzberg, *Op. cit.*, t. III, ad finem; Chastel, *Hist. de la destruction du paganisme dans l'empire d'Orient*, p. 279 et seq.

dixerat Synesius, Athenas nihil habere quod admiratione dignum esset [1]. Hac ipsa tamen ætate attica exstitit imperatrix Athenais, Leontii philosophi filia, Theodosii junioris conjux [2].

Fatetur ille, qui ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους quinto sæculo scripsit, multas jam civitates partim dirutas esse, « ita ut, vix reliquias structorum olim a Græcis ædificiorum retinentes, urbes fuisse se demonstrent [3]. » Id autem christianorum doctrinæ vitio vertebatur. De Socratis aliorumque testimoniis supervacaneum est dicere, qui sæpissime templa aut eversa aut Christo dicata commemorant. Quin etiam syriacus titulus exstat in quo hujusmodi consecratio fuse collaudatur [4]. Quod ad Athenas attinet, scimus christianis a gentilibus exprobratum esse, quod barbaros ipsos ad templorum ruinam incitarent [5]. Certiora autem documenta desunt : episcoporum enim Atticæ ea ætate nomina tantum novimus, nec ea multa ; de templis autem in ecclesias mutatis, unus adest famosus iste pittacianus titulus : Χλ' μετὰ τὸ σωτήριον ἔτος ἐγκαινιάσθη ὁ ναὸς οὗτος τῆς ἁγίας Σοφίας.

Multum de genuina tituli origine disputatum est, præsertim ab Aug. Mommsen, qui Pittacem levitatis insimu-

1 *Epist.* 135.
2 Theophanes, t. I, ed. Bonn., p. 123 ; Cedrenus, id., t. I, p. 590, etc.
3 *Patrol. gr.*, ed. Migne, t. VI, p. 1375-1376.
4 *C. inscr. græc.*, n. 8627.
5 Eunapius, *in Maximum*.

lat[1]. Nolim de re sæpius tractata longius disserere; animadvertam tamen, ea quibus nititur Mommsen argumenta, nonnunquam parum firma videri. Cujusmodi est : « Miror nostram temporum rationem abs quo Græci subito didicerint, septimoque sæculo nostræ rationis periti, cur postea obliti sunt.» Præsto sunt enim in ipso *Corpore inscriptionum græcarum* nonnulli tituli qui eodem modo notantur[2]. Potius equidem miror hanc dionysianam æram Athenis usurpatam fuisse, priusquam Romæ in lucem prodierit[3]. Sed de Pittace hæc satis sunt, cujus partes vix sequi velim.

Vocabulum etiam ecclesiæ omnino non constat. Alii enim de « Sapientia Divina », alii de Virgine, alii de « incognito Deo », cogitant. Potuit autem accidere ut duo simul nomina haberet, quippe quam vindobonensis anonymus sic designet : « περὶ τοῦ ναοῦ τῆς θεομήτερος... ἐπ' ὀνόματι ἀγνώστῳ Θεῷ. » Proferuntur ab eodem eorum nomina, qui novum hoc ecclesiæ opus susceperunt templique formam partim subverterunt, Apollonii scilicet et Eulogii[4]. Quidquid id est, recte conjicietur Parthenonem, sexto aut septimo circiter sæculo, in ecclesiam conversum fuisse. Recentiora vero Athenarum christianarum fata narrare,

1 *Athenæ christianæ*, p. 34 et seq.; *C. insc. græc.*, n. 8660 Petit de Julleville, *Rech. sur l'emplacement et le vocable des églises chrétiennes en Grèce*, *Arch. des missions*, 1868, p. 475 et seq., qui de pittaciano titulo æquius disseruit.

2 N. 8680, 8681, 8712. 8729, 8739, 8759.

3 De Rossi, *Inscr. christ. urbis Romæ*, Prolegom., p. IV; Jaffé, *Regesta Pontif. rom.*, *Præfat.*, p. VIII.

4 De Laborde, *Athènes aux* XV^e^, XVI^e^, XVII^e^ *siècles*, t. I, p. 24.

quum sit a proposito nostro alienum, supersedemus, lectoremque ad ea remittimus quæ de hoc argumento ab Hopf, Hertzberg et Paparrigopoulo scripta sunt[1].

[1] Hopf, *Griechenland im Mittelalter*, in Ersch und Gruber *Enkyklop.*, t. LXXXV ; Hertzberg, *Geschichte Griechenlands seitdem Absterben des antiken Lebens bis zur Gegenwart*, 1876; Paparrigopoulo, Ἱστορία τοῦ ἑλληνικοῦ ἔθνους, *Hist. de la civilisation hellénique.*

# PARS EPIGRAPHICA

## CAPUT I

### DE INSCRIPTIONUM ÆTATE, LITTERATURA, ORTHOGRAPHIA.

Quid ad cognoscendam, qualis ea ætate fuerit atticæ ecclesiæ historiam scriptores conferant, jam retulimus. Restat ut nos ad inscriptiones sepulcrales convertamus, quæ quantæ utilitatis ubique sint, antiquitatis christianæ studiosis jampridem notum est.

De tempore prius est dicendum. Compertum est latinas veterum fidelium inscriptiones nonnunquam consularibus notis signatas esse, in Syria autem et in Asia et in Ægypto variis quibusdam æris christianos usos

esse. Tantum absunt ab optima illa ratione attici nostri tituli, ut nullum invenias cujus ætas ita pateat. Eos vero septimo circiter sæculo recentiores non esse, certissimis indiciis judico. Exstant enim Athenis, in parietibus columnisque antiquorum ædificiorum præsertimque Parthenonis, inscriptiones multæ, ad varia medii ævi tempora spectantes notisque chronicis insignes, quarum nonnullæ inde a fine septimi sæculi et octavi initio numerantur [1]. Sunt igitur testimonia hæc non dubia, quibus uti licet ad definiendam titulorum nostrorum ætatem [2]. Animadvertas quam subversa sit hic omnis epitaphii ratio : mutatæ sunt enim formulæ ipsaque scripturæ species in novum versa, graciliores litteræ siglisque sæpius expressæ, ita ut non jam græcæ, sed byzantinæ aperte sint. Imo, adeo diversæ videntur a titulis nostris inscriptiones istæ recentiores, ut inter has duas series mediam quamdam ætatem fuisse putandum sit, in qua veteres usus formæque sensim evanuerint : supersunt adhuc epitaphia nonnulla quæ transitoriam hanc, ut ita dicam, speciem exhibent [3].

Indictionum autem usum, medio ævo apud Byzantinos omnino pervulgatum, in titulis nostris nisi semel non invenias. Aliud inde argumentum ad statuendam ætatem

[1] Primum a Pittace editæ sunt in Ἐφημ. Ἀρχ., posteaque in *C. insc. græc.* receptæ, n. 9321-9422.

[2] De his enim titulis non recte dubitaverunt Hopf, *Griechenland in Mittelalter*, in Ersch und Gruber *Enkyklop.*, t. LXXXV, p. 114 ; Ritter, *De composit. titul. christian.* p. 2.

[3] N. 10°. — V. etiam *C. inscr. græc.*, n. 9302 titulum ejusdem rationis Æginæ repertum Athenisque nunc adservatum.

suppeditatur, siquidem demonstrare potuerimus quo circiter tempore indictionibus in titulis uti christiani cœperint.

Quod ad Occidentem attinet, ea de re doctissime, ut solet, disseruit de Rossi, demonstravitque indictiones Romæ inde ab annis 517 et 522 adhibitas esse. Existimat autem hujus notæ antiquiorem usum in Ægypto exstitisse, id est medio quarto sæculo[1]. In hac tamen regione, si de titulis agitur, nullum tam remotæ ætatis testimonium inveniemus; necesse est ad annos 489 et 492 progrediamur, siquidem Kirchhoffio assentiamur, nam de horum titulorum lectione inter doctos non omnino constat[2]. In ipsa Græcia Asiaque exempla antiquissima sunt ea quæ annis 389, 417, 430, 461 signantur[3]; vergente autem ad finem quinto sæculo et sexto ineunte, indictionum mentio frequens fit, ita ut ab a. 476 ad a. 550 viginti circiter hujusmodi titulos notaverim[4].

Recte igitur conjicias indictionum usum, quod ad titulos attinet, prius in Oriente quam in Occidente apparuisse, inde a quarto aut ineunte quinto sæculo, non ita tamen ut protinus invaluerit. Nihil autem obstat quominus hoc

[1] De Rossi, *Inscr. christ. urbis Romæ*, Prolegom., p. XCVIII.

[2] *C. inscr. græc.*, n. 9120, 9121.

[3] *C. inscr. græc.*, n. 8616, 9259; Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 1965, 2657. Animadvertendum est tamen titulum syriacum anni 389 non certæ admodum lectionis in hac indictionis mentione esse, Waddingtonque fatetur se eum vesperi transcripsisse. De titulo *C. inscr. græc.*, n. 8654, pronuntiare nolim.

[4] *C. inscr. græc.*, n. 8621, 8623, 8625, 8635, 8636, 8637, 9146, 9276-9278, 9449; Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 1915, 1995, 2088, 2089, 2477, 2639, 2689, 2692, 2696.

argumento nitar, ut atticas inscriptiones nostras septimo saltem sæculo antiquiores judicem. Apte igitur omnia congruunt ut hunc extremum terminum statuam; sed vix unam aut alteram medio sæculo quarto priorem puto, plerasque eis adscribo temporibus quæ a quarti sæculi fine usque ad medium circiter sextum fuerunt.

Palæographiæ quidem testimonia nonnunquam jure observanda sunt, quamquam temerarium est iis omnino fidem adhibere. Ubique enim maxime mutabilis est titulorum christianorum scriptura, ita ut Romæ, eadem ætate, e diversis cœmeteriis oriundi dissimilem litterarum speciem præferant. Atticæ quidem titulos rustice exaratos fuisse plerumque animadvertas, scilicet quod ad humiles pertinerent, quorum propinqui sumptui parcerent et aut imperito artifice contenti essent, aut ipsi nonnunquam verba marmori insculperent. Ditiores autem, ut ex aliis epitaphiis apparet, meliori lapicidæ tituli curam commendabant. Inscriptiones vero nostras veteres litterarum formas diutius servasse arbitror. In Syria enim, ipso quarti sæculi initio, anno 318, ea scripturæ compendia jam in usum recepta videntur [1] quæ ubique posterius inveniuntur ; exstat etiam alexandrinus titulus tertii sæculi, gentilis quidem, qui byzantinam, ut ita dicam, speciem præfert [2]. Athenis autem hæc compendia in nostris titulis vix occurrunt.

[1] Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 2258,

[2] Ἀθήναιον, 1875, p. 90,

De orthographia multa dicere non ausim, quum hæc studia peculiari grammaticorum curæ servanda esse putem, nec imparatus velim periculosam materiam tractare. Animadvertam tamen plerosque eorum, qui de vulgari Græcorum sermone et de veteris linguæ fortuna scripserunt, inscriptiones christianas sæpius neglexisse, etsi earum testimonio opiniones suas aut firmare aut nonnunquam corrigere poterant[1]. Tituli autem nostri varias iotacismi formas præferunt :

Ἐπιχιρήσοιε = ἐπιχειρήσειε, Εὐφιμίου = Εὐφημίου, κῖτε = κεῖται, κιμιτήριον, κυμητήριον = κοιμητήριον, Βηζάντιος = Βυζάντιος, ἐκυμήθη = ἐκοιμήθη.

Occurrit etiam ε pro αι :

κέ = καί, ταλεπώρου = ταλαιπώρου, etc.

ρ pro λ :

ἀδερφοί = ἀδελφοί, Ἐρπιδίου = Ἐλπιδίου.

ω pro ο :

κυμητήριων = κοιμητήριον.

[1] V. tamen quæ de linguæ grecæ in Ægypto corruptione optime dixit Egger, inscriptionum testimonio usus : *Observ. sur quelques fragments de poterie antique.*, Paris, 1857, præsertim p. 25-26, ubi de horum studiorum ratione et utilitate loquitur.

# CAPUT II

## DE CŒMETERIIS ET ECCLESIIS ATHENIENSIUM

Quamvis difficile sit christianorum titulorum topographiam, ut ita dicam, delineare, certis interdum cœmeteriis aut cryptis eum locum assignare licet, in quo plura epitaphia inventa sunt. Ita enim scimus christianos nonnullos prope Dionysii theatrum, occidentem versus, sepultos esse, quum novem tituli ibi reperti sint[1]. Detecti sunt tumuli in quibus ossa, e metallo supellex, fictilia vitreaque vasa rustice confecta servabantur[2]. Mirum videtur christiana hæc vestigia in vico apparuisse olim frequentissimo, et pæne in ipso latere ejus theatri, cujus festa fidelium animis adeo invisa erant; præsertim si reputaveris nonnul-

[1] N. 1-10.
[2] Φιλίστωρ, 1863, t. IV, p. 544.

los titulos quinto sæculo antiquiores videri. Haud procul inde, prope Odeum et recentissime in Asclepiei ruderibus, epitaphia quinque inventa sunt[1]. Si autem ad aliam urbis partem, ad Dipylon, te contuleris, plurimi christianorum tumuli effossi sunt[2], ita ut certum sit fidei novæ fautores mortuos hic eodem loco sepelivisse, quo gentilium sepulcra erant[3].

Ad radices Lycabetti collis, in parva quadam ecclesia, repertæ sunt inscriptiones plurimæ, quas e vicinis locis allatas fuisse jure judicari licet[4]. Idem contigit prope ecclesiam quæ Lampriotissa dicitur[5]. Scimus etiam Rossii testimonio[6] sepulcra christiana, sed sine epitaphiis, inventa esse prope eum locum, quem qui nunc sunt Græci suo senatui quondam assignarant. Hic enim, dum ædificabatur domus quædam, detecti sunt tumuli, leviter concavis tegulis conclusi quæ in trianguli formam ordinabantur. Secludebatur alius ab alio tumulus intervallo certo, dumque altius effodiunt, nova apparebat sepulcrorum series, ita ut uni et alteri ordini tertius suppositus inveniretur; intus autem ossa tantum erant, aut nonnunquam inelegans lychnus fictilis, crucis signo ornatus. Reperiebantur etiam in intervallis tumulorum vasa amphoræque, puerorum ossi-

1 N. 10, 11, 12, 13, 14. Reperta est etiam in Asclepieio byzantina inscriptio quam, ut a sylloge nostra alienam, prætermisi.

2 N. 15-24.

3 Alia etiam veterum christianorum vestigia ibi reperta sunt: Ἀθήναιον, 1873, p. 398.

4 N. 24-34

5 Ἐφημ. Ἀρχ., n. 2186. — V. meos n. 38, 39.

6 Ross, *Archæologische Aufsätze*, t. I, p. 33-35.

bus terræ commixtis refertæ, quamquam angustius esset amphoræ collum quam ut corpus vel parvum introduci potuisse videretur. Alibi, prope vicum qui vocatur stadii, detecta est necropolis quæ romana ætate christianisque temporibus in usu fuit. Præter multos tumulos, eodem modo quem supra diximus dispositos, inventus est sarcophagus, sertis atque boum leonumque capitibus, tum etiam aquila genioque nudo ornatus, quem romana ætate factum esse sculpturæ genus demonstrat; intus autem nil erat animadversione dignum, sed sepulturam ad gentiles usus accommodatam christiani usurpasse videbantur. Subter cœmeterium romana necropolis erat inferiusque etiam hellenici tumuli. Sic per longam rerum seriem mortuos ibi sepultos fuisse apparebat, quorum corpora, servato ipso temporum ordine, detegebantur.

Hos omnes quos dixi locos christianis tumulis insignes fuisse certum est. In Acropoli autem, auctore Koumanoudi, inventi sunt tituli nonnulli[1], qui tamen nescio an e diversissimis locis allati sint.

Testantur multorum epitaphiorum verba sepulcra duobus defunctis, conjugibus scilicet, parata esse, quem quidem usum apud Græcos christianos tunc viguisse puto, meque memini Meli in antiquo cœmeterio animadvertisse tumulos plerosque bisomos esse. In salaminio titulo dicuntur mortui eodem sepulcro, sed diversis *θήκαις* inclusi[2]. Quæ fuerit autem lex emendis possidendisque sepul-

[1] N. 34-38.
[2] N. 107.

cris in Attica apud veteres christianos nescimus. Romæ quidem ea ætate locus tum a fossore, tum a præposito cœmeterii comparabatur[1]. Nonnunquam etiam Syriæ tituli sepulturæ impensas memorant, quamquam incertum est num de ipsius etiam loci pretio agatur[2]. Emptionem significat titulus quidam cyrenaicus[3]. Athenis vero in uno tantum lapide mentionem quamdam invenio perobscuram sane, sed quæ ad hoc formularum genus possit referri. Agitur de Theodules tumulo ad Dionysiam pertinente (διαφέρον)[4]. Occurrit sæpius in Oriente verbum hoc διαφέρον[5] : hic autem conjicere licet harum feminarum alteram sepulcri dominam, alteram incolam fuisse. Accidebat etiam ut plures familiæ sepulturæ societatem inirent, idque, quod in Syria certum est, Athenis quoque factum esse videtur[6].

Hæc autem cœmeteria sepulcraque ad certas ecclesias pertinuisse consentaneum est. Romæ enim, exempli gratia, cœmeterium quodque regioni ecclesiasticæ, intra muros civitatis definitæ, respondisse probavit de Rossi; posterius autem sepulcra viciniam ecclesiarum ipsasque ecclesias occupasse nemo est qui non sciat[7]. Le-

1 De Rossi, *Roma sotterr.*, t. III, c. xx.

2 Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 2036, 2037, etc.

3 *C. inscr. græc.*, n. 9136.

4 N. 57.

5 *C. inscr. græc.*, n. 9138, 9139, 9140, 9142, 9159, 9173, 9195, 9222, 9275, 9281, 9446; Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 1898, 1902, 1920; Heuzey, *Mission de Macédoine*, p. 95, 96, etc. — V. etiam meos n. 12, 54, 64, 84, 89, 105.

6 N. 104, 109.

7 Cf. præsertim *Roma sotterr.*, t. III, c. xvii et seq.

guntur autem in attico titulo verba hæc : Μνήματα διαφέροντα τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ [1]..... Sed ipsum ecclesiæ vocabulum difficile est judicare num sancti cujusdam nomen memoraverit[2]. Nihilominus animadversione maxime dignus est hic titulus et peculiarem, ut ita dicam, locum tenet : forsitan enim ante ostium cœmeterii fuerit affixus, ita ut proprium hunc esse mortuorum locum significaret. Exstant etiam tituli alii duo in quibus ecclesiarum nomina indicari videntur, sed lectionis dubiæ sunt[3].

Quod ad Megaram attinet, reperta sunt epitaphia omnia[4] in eo colle quem, ut a recentioribus, ita ab antiquis Græcis, maxime habitatum fuisse scimus ; sed sepulturis non adhærebant : ibi enim exstant ecclesiæ plurimæ, hellenicis byzantinisque spoliis ornatæ ; certum tamen videtur christianum cœmeterium haud procul fuisse. Hos quidem titulos quos exscripserant Fourmont, nuperque Foucart et Lenormant, frustra quæsivi, sed alium inveni. Christiana etiam vestigia alibi offendi, prope viam quæ secus littus Corinthum pergit. Ibi enim rusticus quidam, terram effodiens, grandes lapides detexit ad sepulcrum pertinentes fictiliaque nonnulla. Ex his erat inelegans

[1] N. 64.

[2] Sanctorum nomina ecclesiis imponere cœperunt christiani inde a medio sæculo quarto : Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 2124 ; *C. inscr. græc.* n. 8609. Romæ autem etiam sexti sæculi initio ecclesiæ plerumque fundator nomine designabantur : Duchesne, *Étude sur le Liber Pontificalis*, p. 143.

[3] N. 6, 46.

[4] N. 108-118.

quædam forma S. Andreæ imaginem exhibens et hæc verba :

ΕΥΛΟΓΙΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΝΔΡΕΑ [1]

Sancti Andreæ memoriam in Achaia maximo cultu prosecutos esse certum est, quippe qui martyr Patris obisse tradatur.

[1] De his eulogiis vide de Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1869, p. 31; 1872, p. 22, 25 et seq.

# CAPUT III

## DE IIS QUÆ AD NOMINUM RATIONEM ET FIDEI PROFESSIONEM ET CHRISTIANORUM ARTES PERTINENT.

Nominum etiam rationem et usum apud veteres christianos attendere prodest. Manifestum est enim hæc nomina certis temporum moribus respondere, et e neophytorum christianorum numero plurimos profana nomina exuisse atque alia quæsivisse, quæ novæ doctrinæ melius accommodata essent. Fidem christianus ipso nomine confitetur[1]. Sed et alios invenias quorum nomina christianismo maxime repugnant : hic Apollonius, ille Dionysius

[1] Le Blant, *Inscr. chrét. des Gaules*, t. I, p. 41 et 45; Martigny, *Dict. des antiq. chrét.*, s. v. *Noms*. Hujusmodi nomina Romæ in titulis græcis sæpissime occurrunt. Quod vero ad Orientem attinet, Eusebium vide *De martyr. Palæst.*, c. XI, ubi de nonnullis martyribus loquitur qui numinum vocabula respuerunt ut prophetarum nomina induerent.

appellatur, ita ut detrusæ gentilium religiones in hoc quotidiano usu diutius permaneant.

Hæ nominum diversæ rationes in nostris titulis reperiuntur. Testantur enim Ἀθηνοδώρα, Διονύσιος, Διονυσία Ἑρμῆς, Ἑρμόφιλος, Καλλιόπη, christianos græcorum deorum etiam recordari. Sed e contrario nova apparent nomina, tum a moribus, tum a dogmatibus christianis derivata. Hebdomadis dies Κυριακός[1], Κυριακή, Σαββάτιος indicant, Ἀθανάσιος certam immortalitatis fidem, Θεόδουλος et Θεοδούλη Dei obsequium profitentur[2]. Φώτιος, Φωτεινός, Φωτεινή dilectissimam orientalibus christianis imaginem præferunt[3]; Ἀγάπη veterum fidelium quum mutuam caritatem, tum etiam cœtus in mentem revocat[4]. Quæ tamen exempla si ad romanos titulos contuleris, extemplo animadvertas nomina christianis dogmatibus congruentia Romæ multo frequentius occurrere. Nomina autem hebraica sæpius in inscriptionibus orientalibus et præsertim in atticis inveniuntur.

Post defuncti nomen, patriæ, parentum, conditionis mentionem plerumque gentilium tituli præferunt; sed

1 Adscribitur inter gentiles titulus n. 3990 *C. inscr. græc.*, quem tamen christianum esse suspicor.

2 Hæc quidem nomina a gentilibus etiam usurpata sunt : Pape's *Wörterbuch der griechischen Eigennamen*, s. v.

3 Significant hæc nomina lucem veritatis quam catechumenus baptismo accipit. Multa sunt epigraphica exempla quæ ad illustrationem symbolici hujus nominis proferantur : Cavedoni, *Annotaz. al fasc.* II *del tomo IV del Corpus*, p. 33; *Revue archéol.*, 1868, p. 77; *C. inscr. græc.*, n. 3990, 5357, etc.

4 Notus est hujus nominis usus : de Rossi, *Roma sott.*, t. I, p. 262. — V. præterea *Acta S. Agapes* ap. Ruinart, ed. Ratisbon., p. 422 et seq.

apud veteres christianos consuetudo fuit ut omitterent quidquid terrestrium rerum memoriam revocabat. Recentiores sunt plerique tituli nostri quam ut antiquum modum optime exhibeant; hic tamen e vetustiorum numero mihi notandus videtur, qui formulam hanc eximiam præfert : *γένει χριστιανός* [1]. Hæc sunt enim ipsa fere martyrum verba [2]. Vox autem *χριστιανὸς* in alio etiam attico titulo apparet [3], quam Waddington antiquitatis indicium esse in hoc formularum genere suspicatur : occurrit enim in nonnullis Orientis epitaphiis, quorum unum anni 279, alte um autem anni 369 est [4]. Hanc opinionem in nostris etiam titulis veram esse arbitror, quamquam nota chronologica carent [5].

Parentis nomen nudo genitivo gentiles Athenienses indicabant, christiani autem silent; si enim dubia exempla prætermiseris, vix unam aut alteram inscriptionem inveneris in qua patris nomen, adjecto etiam vocabulo *υἱός*, aperte exhibeatur [6]. At contra conjugii mentio frequens est [7]. Quod ad patriam attinet, ita apud gentiles significabatur origo defuncti ut, si Atheniensis esset, demum, si peregrinus, civitatem titulus memoraret. Hunc morem

1 N. 75.
2 Le Blant, t. I. p. 128.
3 N. 78.
4 Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 727, 2381. — V. etiam *C. inscr. græc.*, n. 3857s, 9172; sed notas chronologicas hi non habent.
5 Patrensis titulus ea formula insignis remotæ ætatis recte judicatur *C. inscr. græc.*, n. 9298.
6 N. 67, 94.
7 N. 24, 41, 47, 54, 83, 96, 109, 113.

christiani plerumque respuerunt[1]; exstant tamen in sylloge nostra inscriptiones tres quæ patriæ mentionem faciant[2].

E contrario operariæ conditionis memoriam, a gentilibus græcis sæpe neglectam, christiani nonnunquam indicant[3]. Hanc, exempli gratia, in Ciliciæ titulis frequenter inveneris[4] itemque, sed tamen rarius, in atticis nostris[5]. Spectant autem hæc epitaphia ad infimi generis operarios, tonsores, aut lapicidas, aut structores, etc. Noti sunt etiam Athenis, sed ex aliis indiciis, quidam vasorum fictilium mercatores qui forsitan christiani fuerint : nempe in lychno, cruce monogrammatica insignito, legitur ΚΑΡΠΗ, in quibusdam aliis ΘΕΟΔΟΥΛΟC aut ΧΙΟΝΗC. Reperti sunt plerique in fornace quadam sita prope Dipylon, cujus omnes lychni vel symbola christiana vel geometrica ornamenta præferebant[6]. Christianos quidem fuisse hos mercatores jure conjeceris, quamquam hujus generis operarios profana christianaque vasa finxisse scimus, et ipsam ΧΙΟΝΗC notam lychnus mihi obtulit in quo genius alatus occurrit coronam cippo suspendens. Sed et hunc

[1] Titulorum indiculum qui hanc mentionem præferunt dedit Le Blant, *Inscr. chrét. des Gaules*, t. I, p. 128. Sed his adjici nunc possunt exempla plurima quæ recentius innotuerunt.

[2] N. 26, 42, 123.

[3] Indicem etiam v. ap. Le Blant, t. I, p. 130.

[4] *C. inscr. græc.*, in quo octo et viginti exempla occurrunt inde a n. 9155. Sed etiam plures hujus indolis titulos, hucusque ineditos, in his Asiæ partibus amicissimi collegæ Duchesne et Collignon, nuper collegerunt.

[5] N. 4, 5, 6, 15, 16, 17, 21, 25, 91, 101, 102. Hos non memoravi qui inter clericorum ordines referuntur. Sunt autem plurimi : v. indicem ad v. πρεσβύτερος, διάκονος, ἀναγνώστης.

[6] Ἀθήναιον, 1873, p. 498.

genium a gentilium artibus mutuatos esse christianos suspicari liceret[1].

De libera aut servili defunctorum conditione in titulis christianis rarissime expressa alii doctissime disputaverunt[2]. Ex atticis autem nostris unum adducam epitaphium Dionysii illius sericarii, qui fuit Plutarchi proconsulis οἰκέτης[3]. Usurpatur vocabulum hoc οἰκέτης sensu aliquantulum diverso, sed servilem conditionem plerumque indicat, etiam apud christianos scriptores[4]. Hæc autem nota in nostro titulo eo attentius examinanda est quod proconsulis mentioni conjungitur.

Supersunt enim aliquot inscriptiones quæ ad varios Plutarchos, quinti sæculi initio, pertinent. Namque Megarenses statuam publice erexerunt Plutarcho cuidam, Evagrii filio, suis erga cives beneficiis insigni, cujus in titulo dedicatorio memorantur proavi proconsules et provinciarum rectores. Qui haud scio an sit idem Plutarchus quem referunt tituli alii duo : statuam hic erexerat Herculio, præfecto prætorio Illyrici, qui eum magistratum gessit ab anno 408 usque ad a. 412, et ipse ab Atheniensibus eodem honore ornatus est. Præterea notus est alius

[1] Artificum catalogum qui in atticis lychnis notantur Athenis elaboravi; lychni autem christiani plurimi in Museo societatis archeologicæ et in parva Acropoleos casula asservantur.

[2] Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule,* t. I. p. 118 et seq.; de Rossi, excursus ad titulos carthag., *Spicileg. solesm.*, t. IV, p. 537-538. Cf. Allard, *Les esclaves chrétiens,* passim.

[3] N. 102.

[4] « ἔχειν ἕνα ὃν ἂν αἱρήσονται σύγκοιτον εἴτε οἰκέτην εἴτε ἐλεύθερον. » *Philosophum.* L. IX, c. 11.

Plutarchus Nestorii filius, Neo-Platonicorum, qui eo tempore erant, princeps[1].

Quod si Plutarchus noster unus ex iis fuit quos inscriptionum testimonio novimus, eum postea proconsulem fuisse quam tituli scripti sunt animadvertas; in his enim magistratus nunquam memoratur. Sed quamvis difficile sit de Dionysii patrono certam opinionem proferre, notandum mihi videtur Plutarchorum unum sacram Panathenaicorum navem ad Minervæ templum duxisse, aliquot annis antequam publica lege (423) gentiles cærimoniæ prohibitæ sunt.

[1] V. de his Plutarchis Le Bas et Foucart, *Voyage archéol.*, n. 59 et 60.

## CAPUT IV

### DE FORMULIS QUÆ MAXIME NOTANDÆ VIDENTUR.

Inscriptionum formulas ad cognoscendos veterum christianorum mores maximi esse momenti, nemo est qui ignoret. Non enim a fidelibus temere usurpabantur, sed eligebantur attente, ita ut novæ doctrinæ ingenio, imo uniuscujusque ecclesiæ indoli, optime congruerent. Quod si tempora aut varias regiones inspexeris, nova atque nova formularum genera invenias. Sed etiam eos titulos, qui nullam temporis notam habent, certis epochis referre, fidelium longe a patria sepultorum veram originem deprehendere formularum indiciis licet.

Quod si Atticam adimus, princeps locus haud dubio his formulis dandus est quæ christianorum in resurrectione fidem illustrant. Quamvis enim magnas ubique lites inter christianos et gentiles dogmatis hujus professio excitaverit, præsto sunt quum inscriptionum, tum scrip-

torum testimonia quibus Athenienses maxime in hoc efferbuisse cognoscas. De S. Paulo supra jam diximus. Sed gentilium in Attica titulos interrogare libeat : præteritam fortunam laudibus extollunt, de futuris autem fatis silent : « In hoc tumulo jacet Cherestrate, quam conjux vivam dilexit, mortuam desideravit : felix in terra fuit, quæ liberorum liberos vidit[1]. » Sic et alia multa epitaphia quæ referre otiosum est. Mortem tamquam necessarium vitæ finem sine lamentis gentilis prospicit, dummodo opportuna veniat et longam beatamque vitam concludat. Quod si de altera vita cogitaverit, hæc et ipsa terrestris sæpe est : vivet, ut ita dicam, mortuus in liberis suis, aut « in memoria hominum immortalis perdurabit[2]. » Hades enim tenebrosus et formidolosus est « qui homines rapit et nigris involvit alis[3]. » Futuræ vitæ mentionem interdum tamen reperias, sed ita expressam ut de his titulis difficile sit pronuntiare ; eos enim ad christianos libenter nonnunquam referres, si certius ullum esset indicium.

1 ... τῶιδε τάφωι κεῖται Χαιρεστράτη, ἣν ὁ σύνευνος
ἔστεργεν μὲν ζῶσαν, ἐπένθησεν δὲ θανοῦσαν.
φῶς δ' ἔλιπ' εὐδαίμων, παῖδας παίδων ἐπιδοῦσα.
(Koumanoudis, Ἐπιγρ. Ἀττ. ἐπιτ., n. 585.)

2 Σῶμα σὸν ἐν κόλποις, Καλλιστοῖ, γαῖα καλύπτει,
σῆς δ'ἀρετῆς μνήμην σοῖσι φίλοις ἔλιπες.
*(Ib.*, n. 3037.)

μνήμην ἀθάνατον... ἔλιπες.
*(Ib.*, n. 699.)

3 Μάρψας Ἅιδης σκοτίας ἀμφέβαλεν πτέρυγας.
*(Ib.*, n. 1651.)

Cf. etiam, n. 254, 569, 749, etc., etc.

« Ossa et carnes pueri dilectissimi terra tenet, anima autem ad piorum sedes abiit[1]. »

Quo factum est ut christiani a gentilibus derisam carnis resurrectionem vehementius amplecterentur, jamque vidimus Athenagoram hoc dogma multum defendisse. Hoc quidem resurrectionis odium non Athenis tantum exstitisse e multis testimoniis liquet : scimus, in ipso Oriente, Johannis Chrysostomi temporibus, christianos fuisse qui huic doctrinæ fidem minime adhiberent[2]; sed quum philosophorum placita tantam vim Athenis diu retinuerint, non est cur miremur si acrius ibi christiani gentilesque de resurrectione disputasse videantur. Dolendum est igitur quod nostri tituli ejusdem ætatis non sint qua Athenagoras Athenis docuisse et scripsisse existimatur; non dubium est enim quin formulæ in eis invenirentur quæ ad hanc controversiam spectarent. Animadvertas tamen antiquissimum fortasse titulum hanc fidei professionem optime præferre, quum fidelis dicatur *πιστὸς εἰς τὸν τόπον ἀναπαύσεως*[3].

Posterius autem pleraque epitaphia notatione dignissimum verbum exhibent *κοιμητήριον*, quod arcte cum

1 Ὀστέα μὲν καὶ σάρκας ἔχει χθὼν παῖδα τὸν ἡδύν,
ψυχὴ δ'εὐσεβέων οἴχεται εἰς θάλαμον. (*Ib.*, n. 1825.)

Cf. etiam *ib.*, n. 2784, 2904, 3519 ; *C. inscr. gr.*. n. 938, 1001. Idem censuit Koumanoudis « καὶ ἄλλαι τινὲς ἐπιγραφαὶ... ἐκ τῶν ἐμμέτρων εἶναι πιθανῶς χριστιανικαί ». *Ib.* p. 406, nota.

2 *In epist.* I *ad Cor. hom.* IV, ed. Gaume, t. X, p. 36. — V. quæ ad hoc argumentum illustrandum eruditissime scripsit Le Blant, *Revue archéol.*, sept. 1874.

resurrectionis dogmate cohæret. Ab ipso Evangelio et Pauli epistolis hanc mortis cum somno comparationem christianos mutuatos fuisse certum est[1]; verbum autem κοιμητήριον, quod inde sumptum est, loca designat ubi fideles sepeliuntur. Multa sunt christianorum scriptorum testimonia quæ ad priores ætates referantur[2]. Posterius notanda est Johannis Chrysostomi homilia de ipso cœmeterii verbo, qua scimus eo etiam tempore christianos solemnes conventus in eis locis egisse[3]. Sed manifestum est omnes scriptores hac appellatione non peculiare cujusque sepulcrum significasse, sed necropolim ipsam: Athenis autem, quotiescumque occurrit κοιμητήριον, ad tumulum ipsum spectat. Iterum atque iterum animadvertere licet quod doctissimi viri optimis exemplis jam illustrarunt, formulas ipsas quasi patriam originem habere certisque legibus subjici, quæ ad propriam cujusque ecclesiæ historiam pertineant[4].

Sed et S. Pauli memoriam in Attica maxime viguisse hoc exemplo demonstratur. Notandum est enim hanc formulam, præter Athenienses, Macedones præsertim eo sensu usurpavisse[5]: ut enim in epistolis ad Corin-

1 *Sec. Johannem*, XI, 11 et seq.; *Ad Corinth.* I, IV, 13 et sqq., XV, 18.

2 Euseb., *Hist. eccl.*, VI, 30; VII, 11, 13; IX, 2; *Philosophumena*, IX, 11, etc., etc.

3 Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κοιμητηρίου, ed. Gaume, Pars. I, p. 469-475.

4 Le Blant, *Manuel d'épigraphie chrétienne*, passim; de Rossi, *Spicileg. solesm.*, *de titulis carthaginiens.*, t. IV, p. 511-513.

5 *C. inscr. græc.*, n. 9439, 9440: quorum prior κοιμητήριον ἕως ἀναστάσεως præfert; Delacoulonche, *Mém. sur le berceau de la puissance macé-*

thios et Thessalonicenses hac imagine Paulus usus est, ita in Macedonia Achaiaque ea ipsa imago memoratur. Quod si Macedoniam Achaiamque omiseris, hoc verbum eo sensu receptum raro invenitur, ita ut forsitan ejusmodi tituli, si quando occurrant, extranei videantur et ad Macedonas aut Achæos pertinuisse judicandi sint [1]. Item latinam verbi formam *cœmeterium*, pæne inusitatam fuisse constat, quotiens unus aliquis tumulus significandus erat [2]. Verba tamen κοίμησις, ἐκοιμήθη, non infrequenter occurrunt, quamquam κοίμησις non eadem pertinacia qua κοιμητήριον iterum atque iterum repetitur, ἐκοιμήθη autem in epitaphiis recentioris ætatis sæpius apparet. Sed, quo tempore κοιμητήριον sic usurpari cœptum sit, difficile est definire, siquidem attici tituli quarto sæculo antiquiores non videntur : jure tamen e macedonicis unus, quos supra memoravi, ad tertium circiter sæculum referri potest [3].

Supersunt etiam duo Atticæ judaica, ut videtur, epitaphia quæ κοιμητήριον præferunt. Quodsi horum ætatem reputaveris, Judæos formulam christianam mutuatos esse

*donienne*, p. 204, n. 87 et 88; Heuzey, *Mission de Macédoine*, p. 26-27, 95-96.

[1] *C. inscr. græc.*, n. 9450; *Rev. arch.*, 1869, p. 456, in titulo Damasci reperto; Le Blant, *Inscr. chrét. des Gaules*, n. 613; Aringhi, *Roma subt.*, t. I, p. 4. In *C. inscr. græc.*, n. 9298, lectio κοιμητήριον falsa est, integrum enim superest verbum οἰκητήριον; itemque s. n. 9593 non restituendum censeo κοιμητήριον, sed μεμούριον.

[2] Foggini, *De romano itinere Petri*, p. 295; Perret, *Catacombes.*, t. V, pl. XXIX; Renier, *Inscriptions d'Algérie*, n. 2031; de Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 85-86.

[3] *C. inscr. græc.*, n. 9439.

existimabis. Romæ etiam, in cœmeterio judaico quod in vinea Randanini repertum est, sæpissime leguntur eadem fere quæ apud christianos verba : ἐν εἰρήνῃ ἡ κοίμησις αὐτοῦ[1]. Et hæc quidem præclara res est et digna quæ doctorum investigationibus illustretur : sed hic de ea satis dictum est.

Κοιμητήριον ἐν Χριστῷ in quodam titulo inscriptum legitur[2], prope Ἁγίαν Τριάδα reperto, item in alio titulo e macedonicorum numero[3]. Quorum auctores sese ipsorum apostoli verborum magis memores exhibuisse agnoscas, et tumulum accuratius, ut ita dicam, sacrasse[4]. Verum S. Pauli epistolas in funereum sermonem traductas esse alia etiam testantur exempla ; sic enim verba ἀδελφοὶ ἡ χάρις τοῦ Χρ... in fine mutila inveniuntur, quæ apostoli scriptis supplere facile est[5] : nulla est enim fere Pauli epistola in qua hæc non legantur : ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ μεθ' ὑμῶν. Quæ quidem formula tum brevior est, tum explicatior, sed ex certis quibusdam verbis ubique constat. Vides igitur in nostro titulo non preces pro defuncto a vivis, sed ab ipso defuncto pro vivis expressas esse, quod rarius est.

1 Garrucci, *Civiltà cattolica*, 1862 et 1863, et *Cimitero ebreo di vigna Randanini; C. inscr. græc.*, n. 9904.

2 N. 20.

3 Delacoulonche, n. 87.

4 « Οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ ». Sunt et aliæ formulæ quas cum nostra contulerim : Ross, *Reisen auf den griechischen Inseln*, dritter Band, p. 146; de Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1866, p. 41, 1869, p. 48, Perrot, *mission. de Galatie*, p. 65, etc.

5 N. 76.

Alias etiam post eam prohibitionem qua tumuli integritati consulitur, inscriptum est : μαρὰν ἀθά[1]. Quid sibi velint hæc syriaca verba, incertum primum videtur. Optime autem illustrantur minis quæ sunt in fine epistolæ ad Corinthios : « Si quis non amat Dominum, sit anathema. Maran Atha [2] ». Significant autem : « Dominus venit ». Videntur igitur fideles, quinto etiam aut sexto sæculo, verba in titulis insculpsisse quorum sensum fortasse non intelligerent; sed sane memorabatur assidue, præsertim in Achaiæ ecclesiis, hæc Pauli epistola, advectæ eo fidei monumentum, ita ut syriaca etiam locutio Atheniensium auribus familiaris esset.

Sed et alia hujus epistolæ verba temere nonnunquam in inscriptionibus nostris usurpata fuisse videntur, et eo sensu quo non recta et christianæ doctrinæ minime convenientia significari possent. Hæc enim formula, οἶκος αἰώνιος, tituli initio adhibita[3], resurrectionis fidei haud consentanea a multis judicabitur, quamquam dubium mihi non est christianos hæc S. Pauli verba in animo habuisse, quibus cœlestem vitam cum terrestri comparat : « Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, *domum* non manu factam *æternam* in cœlis[4]. »

[1] N. 107.
[2] *Ad Corinth.*, ep. I, XVI, 22.
[3] N. 107.
[4] *Ad Corinth.*, ep. II, V, 1. Itemque eam formulam in Thracia invenit Dumont, *Inscriptions de Thrace*, n. 46.

Verba etiam οἰκητήριον, κατοικητήριον, quæ sepulcrum nonnunquam designant[1], in his Græciæ regionibus recepta fuisse e patrensi quodam titulo apparet, cujus ætas antiqua videtur[2]. Hæc autem ab Atheniensibus sæpius adhibita esse crediderim, paucosque admodum hujus generis titulos superfuisse, si cum titulis κοιμητήριον præferentibus eorum numerum comparaveris. Sic in Cilicia verbum χαμοσόριον[3], certa quadam ætate multum viguisse videtur, quamquam in epitaphiis non sæpissime occurrit. Christianos Cilices testes potissimum profero, quippe qui, ut Attici nostri formula κοιμητήριον, sic verbis θήκη, σωματοθήκη quotidie usi sint[4]. Ita enim apparet, juxta formulam in multis titulis servatam, aliam exstitisse, quæ, etsi rarius reperiatur, certis ecclesiis certæque regioni peculiaris videtur fuisse.

Quod si formulam apud quamdam ecclesiam sæpius usurpatam in uno vel altero Atticæ titulo inveneris, hoc tibi de origine defuncti indicium erit. Ut enim ritus et patrios mores, sic et certos funerei sermonis modos servat, qui in exteram regionem migrat. Testis adest insignis ille titulus in quo hæc verborum compendia **Χ Μ Γ**, Athenis admodum insolita deprehenduntur[5]. Inveniuntur in tribus epitaphiis ab editoribus *Corporis græcarum inscriptionum* collectis, quorum unum ad

[1] N. 9, 29, 30, 34, 54, 62. — V. Pauli, ep. II *ad Corinthios*, v, 2.
[2] *C. inscr. græc.*, n. 9298, qui quomodo legendus sit supra dixi.
[3] *C. inscr. græc.*, n. 9219-9223.
[4] *C. inscr. græc.*, n. 9164-9237, passim.
[5] N. 45.

Siciliam, duo ad minorem Asiam pertinent[1]. Rectissime animadverterunt doctissimi viri notam chronologicam in his litteris non esse quærendam, sed certum sensum proponere non ausi sunt. Posterius autem easdem Lepsius in coptico Thebarum titulo reperiit[2], septemque nova exempla e syriaco itinere Waddington in lucem protulit, quorum quinque, annorum notis instructa, hanc formulam a quarto sæculo jam vergente usque ad sexti sæculi initia viguisse indicant[3]. Certum in titulo locum his siglis assignatum non fuisse monstrat Waddington, legendumque censet: Χριστός, Μιχαήλ, Γαβριήλ, aut Χριστὸς ὁ ἐκ Μαρίας γεννηθείς[4]. Exstat etiam phœnicia similis inscriptio a. 401[5]. Recentius autem tegula in emporio romano effossa est, constantinianum quod dicitur monogramma et Κασσίου nomen juxta hæc sigla exhibens : hanc edidit de Rossi accuratoque commentario instruxit, in quo Christi et archangelorum nomina eo modo significata fuisse probat[6]; sed et subtilissimus exactor omnium quæ rei epigraphicæ cujusque regionis propria esse videantur, syriacam siglorum originem affirmavit.

Verum non est cur nostrum titulum ad Asiam referam. Alia enim formula ibi legitur, quam a Syris ne semel quidem adhibitam fuisse puto : ἀνάπαυσον, Κύριε, τὴν ψυχὴν τοῦ

1 *C. inscr. græc.*, n. 9144, 9273, 9455.

2 *Denkmäler.*, Taf. 102, n. 3.

3 *Voyage arch.*, n. 2660, anni 377 ; n. 2663, a. 399 ; n. 2665, a. 420 · n. 2691, a. 479 ; n. 2299, a. 516 ; n. 2145 et 2674.

4 *Id.*, p. 504.

5 Renan, *Mission de Phénicie*, p. 592.

6 *Bull. di arch. crist.*, 1871, p. 7-32, et Tav. III, n. 2.

*δούλου σου ταλαιπώρου*. Non tamen infitias eo hujus *ἀναπαύσεως* spei apud Syros mentionem factam esse verbumque *δοῦλος* eo ipso sensu sæpius occurrere ; sed ex his membris, ut ita dicam, disjectis, formulam nostram constituisse non videntur[1]. Eam autem sæpius reperias, si ab Asia ad Ægyptum et Nubiam te transtuleris : « Domine, fac quiescat servi tui anima in sinu Abraam et Isaac et Jacob. » Quod si hujus regionis christianam seriem in *Corpore inscriptionum græcarum* percurreris, non dubitabis profecto quin nostra hæc formula illic præcipue viguerit[2].

Deest quidem in attico titulo patriarcharum mentio, obstareque videtur linearum totiusque marmoris adspectus ne supponi queat. Sed contra, verba quæ sunt ante *ἀνάπαυσον, Κύριε*, ex alio ægyptio titulo certissime restituas in quo hæc leguntur : *ἔνθα ἀπέδρα ὀδύνη καὶ λύπη καὶ στεναγμός*[3]. Eo autem in loco græcæ precationis antiquissimæ, quæ in hodierno euchologio servatur[4], exemplar est congruens ad verbum. Igitur, ut ex instituta comparatione liquet, atticam nostram inscriptionem christiani cujusdam, ex Ægypto oriundi, tumulum signasse censeo. Quod enim attinet ad sigla Χ Μ Γ, ea in Ægypto esse adhibita testatur titulus a Lepsio allatus, unus ille quidem, sed maximi

[1] Legitur quidem in quodam Smyrnæ titulo : ὁ Θεὸς ἀναπαύση τὴν ψυχήν σου μετὰ τῶν δικαίων : *C. inscr. græc.*, n. 9278. Sed plura exempla desunt.

[2] *C. inscr. græc.*, n. 9110 et seq.

[3] *Bull. de l'Institut égyptien*, 1874-1875, p. 102 et sq. Cf. *C. inscr. græc.*, n. 9121. — Hic titulus postea cum commentariis editus est in *Bull. de correspond. hellénique*, 1877, p. 321 et seq.

[4] Εὐχολόγιον τὸ μέγα, ed. Venetiis, 1869, p. 394.

pretii. Exstat præterea ægyptium quoddam epitaphium in quo præstantissimum locum archangelus Michael obtinet[1], alium autem quod et Michaelem et Gabrielem simul invocatos esse probat[2].

De alio attico titulo agendum est, quem vox μνημόριον, ab atticis titulis, ut videtur, aliena insignem facit. Μνημόριον raro apud scriptores, in titulis rarius invenitur; Macedoniam tantum exceperim, ubi in sex epitaphiis occurrit, ita tamen ut μημόριον semper scribatur[3]. Reperti sunt hi tituli duobus locis, Edessæ et Berrhœæ, verbumque de quo agitur siglis semel redditum est, quod frequentiorem usum significare videtur. Animadvertam tamen hoc μημόριον ad vocem *memoria* potius referendum videri[4], nec in re incerta certam opinionem de nostri tituli origine statuere velim.

Exaratæ sunt etiam in nonnullis inscriptionibus nostris formulæ, quibus sepulcri integritati consulebatur[5]. Multum enim timebant veteres ne post mortem violarentur tumuli ossaque aut cineres dissiparentur. Plurimas igitur formulas gentiles excogitaverunt[6] quibus

1 *Bull. de l'Institut égyptien*, 1873, p. 111 et sqq.; *Revue arch.* 1874, p. 45 et sqq. Sed de Michaele archangelo agitur etiam in quodam æginetico titulo, Le Bas, *Voy. arch.* 1753; et in gemma gnostica ibidem reperta, Ἐφημ. ἀρχ., 1863, p. 302, Tab. 45, 1.

2 Lumbroso, *Rivista di filologia*, nov. 1873, p. 220.

3 Delacoulonche, *Mém. sur le berceau de la puissance macédonienne*, 1858, n. 8, 11, 14, 82, 84, 86

4 De Rossi, *Roma sotterr.*, t. III, p 455.

5 N. 32, 42, 63, 79, 84, 106, 107, 124.

6 Vidal-Lablache, *Commentatio de titulis funebribus in Asia minore*, p. 50-68.

in conscios tanti sceleris deorum iræ invocarentur. Non dubium est quin eæ minæ locum ubi mortuus jacebat nonnunquam protexerint; sepulturæ enim curam quieti mortuorum adeo conjunctam esse veteres existimabant, ut nihil tristius videretur quam tumulo privari. Quisquis ergo sepulcrum violabat, mortuum e domo, ut ita dicam, extorrem hac et illac errare cogebat : igitur, simul atque scelus patrare parabat, si titulo insculptas minas legebat, religione quadam interdum prohibebatur. Sæpissime tamen mulcta etiam indicabatur quæ in quibusdam regionibus, ut in Asia et in Macedonia, frequenter notatur, in Attica rarius[1].

Talem quidem metum apud christianos evanuisse æquum erat, quum clarissimi ecclesiæ doctores mortuorum resurrectionem a corporum integritate distinctam esse dicerent. Præsto erat martyrum etiam testimonium quod Patrum præcepta optime illustraret. Nihilominus christiani plurimi eamdem quam gentiles curam de sepultura intenderunt et ejusdem modi formulas in titulis exaraverunt[2]. Scimus enim hoc scelus imperatorum ætate sæpissime admissum esse[3], posteriusque christianos prin-

1 *C. inscr. græc.*, n.951 ; Koumanoudis, *Ibid.*, n. 3268. Legitur etiam in fragmento prope Dipylon reperto : [ἱε] ρωτάτῳ ταμιείῳ μυριάδας...

2 Quod ad occidentem spectat, v. Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, t. I, p. 290 et seq. — In Oriente vero, v. *C. inscr. græc.*, n. 3890, 3891, 3902, 3902[f], 3902[n], 3963, 9135, 9266, 9270, 9288, 9289, 9298 ; Le Bas et Waddington, *Voy. arch.*, n. 1654[a], 1703, 1899; Dumont, *Inscr. de Thrace*, n. 46, in *Archives des missions*, 1876.

3 Eusebii *Hist. eccl.*, l. VIII, ch. VI. — Huschke, *Jurisprud. antejustinianeæ quæ supersunt*, p. 432, etc.

cipes acerbissimas pœnas in τυμβωρύχους statuisse, ita ut eos ne ipso quidem die Paschæ venia dignos judicarent[1]. Exstat in operibus S. Gregorii epigrammatum longa series, quibus τυμβωρυχίαν impugnat[2] : ex his compertum est sepulcra sæpissime aperta esse, ut divitiæ eruerentur una cum mortuo inclusæ; nonnunquam etiam auferebantur lapides, atque ad ipsas ecclesias exstruendas adhibebantur. Unum est tantum epigramma in quo de novo corpore intra antiquum sepulcrum deposito agitur, quod tamen sæpissime accidisse scimus. Christianos in epitaphiis mulctarum minis non usos esse nonnulli crediderunt : jampridem tamen nota erant certa quædam exempla[3]; nuper autem Juliæ Concordiæ cœmeterium plurimos hujusmodi titulos exhibuit[4]. Hæc autem mulctæ mentio apud Atticæ christianos nunquam invenitur.

[1] *Codex theodos.*, l. III, tit. XVI, l. IX, tit. XXXVIII et t. III, p. 146-172. De ecclesiasticis pœnis τυμβωρύχοις impositis v. Pitra, *Monum. juris ecclesiast. Græcorum*, t. I, p. 597, 629.

[2] Jacobs, *Anthologia.*, n. 170-174, 176-254.

[3] Muratori, *Thesaurus.*, p. CCCLXXXI, n. 2; de Rossi, *Roma sotterr.*, t. I, p. 107; *C. inscr. lat.*, n. 2632, 2654, 2704, 6399, etc. — His libenter adjungerem titulum *C. inscr. græc.*, n. 3902.

[4] *Bull. di corrisp. archeol.*, 1874, p. 18-47; *Bull. di arch. crist.*, 1874 p. 133 et seq.

## CAPUT V

### DE SYMBOLORUM USU

Hæc symbola, quæ in titulis christianis insculpta sæpissime videntur, non eo tantum nomine magni facienda sunt quod fidelium sensus significant. Nonnunquam enim, ad definiendam titulorum ætatem, multam ex his lucem percipias, in Occidente præsertim, ubi illa symbola varia fuisse et quotidie usurpata nemo est qui ignoret. Quod utinam et in Oriente ita esset; obstat autem et titulorum notis temporum insignium, et symbolorum ipsorum paucitas. Imo mirum videtur orientales christianos has imagines in titulis raro admodum adhibuisse. Reputandum est ea quæ in Oriente supersunt epitaphia quarto sæculo plerumque antiquiora non esse, id est ea ætate qua symbolorum in titulis usus etiam Romæ sensim evanescere cœpit. Quod si priorum sæcu-

lorum monumenta nobis nota essent, non dubium est quin eadem quæ in Occidente symbola nec rarius usurpata videremus : præsto sunt enim Patrum scripta quibus illa sententia confirmetur. In atticis vero nostris titulis crucem non piscem pastoremve, sed aut monogrammaticam aut nudam aut mediam inter litteras A et Ω invenimus.

Monogramma ☧, quod constantinianum vulgo haud recte dicitur, in lychnis modo apud Atticos adhuc repertum est[1]. Hoc Romæ certo apparuisse initio tantum quarti sæculi scimus, quamquam prius forsitan usurpatum fuerit[2]; in Oriente autem Constantino antiquius esse libenter crediderim, sed titulos notis temporum instructos non habeo quos proferam[3]. Lychnos hujusmodi atticos quarto sæculo non recentiores esse puto.

Crux autem monogrammatica ⳨, quum in lychnis, tum in epitaphiis invenitur[4]. Romæ quidem medio quarto sæculo in titulis occurrit; apud orientales autem recentius[5]. Sed in promptu sunt alia testimonia quæ ad Orientem

[1] Asservantur hi lychni in parvo Acropoleos museo et in Museo societatis archæologicæ. Animadvertendum est unum ex his repertum esse Tanagræ extra Atticæ fines.

[2] De Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1863, p. 22 ; *Inscr. christ.*, t. I, p. 29.

[3] Le Bas, *Voyage arch.*, n. 828 et in *C. inscr. græc.*, n 9263; Ross, *Inscr. gr. ined.*, fasc. III, n. 246 *bis*; de Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1873, p. 77; de Rossi, *Roma sotterr.*, t. I, p. 107 et cum recta originis nota ap. Dumont, inscr. de Thrace, in *Archives des missions*, 1876, n. 172k; v. præerea quæ scripsi : *Revue archéol.*, 1876, p. 287-288.

[4] Exstant hujusmodi lychni sex in Museo societatis archæologicæ

[5] Æquum est ut me nil omnino certius de Oriente proferre fatear, quippe quum titulorum græcorum christianorum doctrina adhuc valde incerta sit. Sed v. Le Bas et Waddington, n. 2663. Quod ad Romam attinet, v. de Rossi, *Inscr. christ.*, n. 125.

spectant : hanc enim crucis formam Constantini nummi anno 335 Antiochiæ cusi exhibent[1], notaque sunt sancti Ephræmi verba quæ salutiferum signum, medio quarto sæculo, ita plerumque effictum fuisse in Oriente nos edocent[2]. Animadvertit præterea de Rossi codicem Bibliorum græcum vaticanum, qui eadem ætate scriptus est, hanc, de qua agitur, crucem quater præferre[3].

Fuit igitur symbolum illud inde a Constantini temporibus in Oriente frequens, sed quando usurpari desitum sit difficile est dicere. Si byzantinorum nummorum seriem percurreris, monogrammaticam crucem usque ad Justinianum sæpius invenias[4]; postea autem rarior est aut formæ nonnunquam corruptæ[5]. Nummorum quidem testimonium cum titulis omnino concors esse non potest : ut ergo de atticis titulis dicamus, quos hoc symbolo ornatos videmus ad quartum aut quintum sæculum referendos esse censeo.

Crux autem nuda in Oriente valde antiqua videtur[6]. Ut enim titulos omittam annorum 197 et 313, de quibus

1 Cavedoni, *Appendice alle ricerche critiche intorno alle medaglie constantiniane*, p 13; Garrucci, *Numismatica constantiniana*, post *Vetri ornati.*, p. 93.

2 *Opera*, t. III, p. 477.

3 De Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1863, p. 62, ubi de hoc signo luculenter disseruit. V. etiam quæ scripsi in *Archives des missions*, 1876, p. 527.

4 Sabatier, *Descript. génér. des monnaies byzantines*, t. I, pl. IV, 3 et 8; pl. VIII, 26; pl. IX, 25, 26 et 27; pl. XII, 3, 4, 12, 15.

5 *Id.*, pl. XXIV, 10, 11; pl. XXVI, 24, 25, 27; pl. XXVIII, 17.

6 Ex ipso testimonio Juliani Augusti apud Cyrillum, de Rossi crucem nudam medio quarto sæculo solemnem fuisse recte judicat : *De titulis carthagin.*, in *Spicileg. solesm.*, t. IV, p. 534-535.

nil certius affirmare velim[1], alios sine dubitatione proferam annorum 350, 389, etc.[2]; Romæ autem anno tantum 407 eam invenimus, in Gallia anno 445[3]. Primum igitur Orienti christiano locum adsignare licet titulorum testimonio, quamquam etiam adjici potest Bosphori regum nummos jam inde a fine tertii sæculi et initio quarti crucem præferre[4]. Nil obstat ergo, quominus atticus titulus unus aut alter, cruce nuda insignis, ad quartum sæculum pertinere videatur, dummodo alia indicia adsint quibus hæc ætas confirmetur. Neque vero negabo hunc crucis usum antiquiorem esse non posse: imo libentius crederem; nisi me, certis notis destitutum, dubias opiniones, quamvis essent probabiles, in medium proferre severioris doctrinæ cura vetaret.

Litteræ etiam A et Ω in nostris titulis nonnunquam inveniuntur, quæ quidem exstant in asiatico titulo supra memorato anni 313, sed dubium est an ea temporis notatio adhibeatur, quæ ad æram Seleucidarum referenda sit. Quem si omiseris tardius multo in Oriente exhibentur, circiter finem quarti sæculi[5], quamquam eas jam inde ab anno 355 romana epitaphia exhibent[6]. Ipsa tamen

1 Le Bas et Waddington, n. 2565; Renan, *Mission de Phénicie*, p. 390.

2 Le Bas et Waddington, n. 1965, 2037.

3 Hanc tamen Romæ prius, sed raro apparuisse videtur in epitaphiis consulari nota destitutis; v. de Rossi, *De titulis carthagin.*, p. 525 et seq.

4 Cavedoni, Garrucci, *op. laud.* — De variis crucis formis, cf. etiam Stockbauer, *Kunstgeschichte des Kreuzes*, p. 81 et seq.

5 Le Bas et Waddington, n. 2663.

6 De Rossi, *Inscr. christ.*, n. 127. De nummis, v. Garrucci, *op. cit.*

symboli hujus origo græca est, animadvertendumque censeo eas cum monogrammate ☧ in titulo insulæ Syri conjungi qui, quamquam anno certo caret, antiquus videtur, monogrammatis istius, ut dixi, testimonio[1].

1 Klôn Stephanos, Ἐπιγρ. τῆς νήσου Σύρου, n. 60. Eamdem edidi in *Revue arch.*, 1876, p. 289. Exstat etiam apud Dumont, *Inscr. de Thrace*, in *Archives des missions*, 1876, n. 72, titulus litteris Α et Ω insignis quem valde remotæ ætatis censeo ; itemque apud Wood, *Discoveries at Ephesus*, *Inscriptions from tombs*, n. 21.

# CONCLUSIO

Eam de qua egimus temporum seriem in duas partes divisam esse constat, quarum medius, ut ita dicam, terminus ad quartum circiter sæculum collocandus est; nec temere, quum ipsum documentorum genus quibus uti licuit in utraque diversum sit, et hinc ad scriptores, illinc ad titulos plerumque provocaverim. Potuissem igitur in hac commentatione, quam epigraphicam esse maxime volebam, antiquissima ecclesiæ fata, ut a proposito aliena, omittere; nec tamen feci, ne mancum opusculum proferre viderer; sed utilius judicavi res ab ipso initio repetere et ecclesiæ de qua agebatur origines et incrementa describere. Id enim fuit christianorum in Attica collegium quod et conditoris fama et scriptorum martyrumque meritis jure gloriaretur.

Titulos ipsos, quibus præcipuus locus hic datus est, minoris pretii dignos videri fateor qui recentiores sunt et ad ingloriam plebeculam spectant. Ex his tamen ea adhibentur testimonia quibus nonnulla confirmantur quæ ad rem epigraphicam apud christianos attinent. Animadvertere enim licet quantum in componendis titulis inter gentiles christianosque discrimen sit, qua ratione christiani novum dicendi genus in re funerea excogitaverint, diversisque regionibus oriundi diversas formulas adhibuerint quibus fidem dogmataque significarent. Norunt omnes quanta doctrina nostra ætate viri eruditissimi christianorum in Occidente titulorum indolem utilitatemque definierint : hoc et in Oriente efficere volui ut angustam regionem explorarem ; nec multa me inaudita ve invenisse fateor, sed hoc, quantulumcumque est, rei epigraphicæ curiosos non omnino dedignaturos esse spero.

# TITULORUM SYLLOGE

# I

## TITULI ATHENIENSES LOCIS CERTIS INVENTI

### 1

+

| | |
|---|---|
| Ασκληπαρί- | Μυσ[τη- |
| ωνος καὶ Ἡ- | ρίου κ[αὶ |
| συχίας. | Θεοδο[ύ- |
| | λης. |

Tab. I, n. 1.— Repertus prope Bacchi theatrum. Descripsi prope domum custodum Acropoleos. — Alt., 0,68[c]; lat., 0,25[c]; e marmore hymettio.— Koumanoudis, Ἐπιγρ. Ἀττ. ἐπιτύμβ. n. 3548; Φιλίστωρ, p. 543.

Videntur hi tituli duo ad tempus aliquantisper diversum pertinere. Nuda autem hæc genitivi simplicitas antiquam ætatem redolet.

2

+

Κυμητή-

ριον Πασι-

κράτη κὲ

Γλαύκης +

Tab. I, nº 2. — Repertus ibidem. Descripsi in Museo societatis archæologicæ. — Alt., 0,26c; lat., 0,23c; e marmore pentelico. — Koumanoudis, n. 3596.

Πασικράτη. Forma genitivi notanda est, quæ quidem in nostris titulis, ut infra videbis, non semel suppetit.

3

+ Κυμητ[ήρ]ι[ο-

ν Μουσωνίο[υ.

+

Tab. I, n. 6.— Repertus prope Bacchi theatrum. Exscripsi prope domum custodum Acropoleos. — Alt., 0,58c; lat., 0,28c; e marmore hymettio. — Koumanoudis, n. 3588.

Apparent sub hac nostra inscriptione antiquioris tituli vestigia. Vixerunt hac ætate in Græcia Musonii complures [1].

[1] *Hist.* v, 5.

4

+

Κοιμητ]ήριον

Κυρι]ακοῦ λιθο-

κόπο]υ καὶ Εὐφι-

μί]ας.

Tab. I, n. 5. — Repertus prope Bacchi theatrum. Descripsi in Museo societatis archæologicæ. — Alt., 0,22$^{c}$; lat., 0,20$^{c}$; e marmore pentelico. — Koumanoudis, n. 3581.

Κοιμητήριον. Animadvertas restitui posse οἰκητήριον, sed κοιμητήριον probabilius videtur.

Κυριακός. Hoc nomen in marmore exstitisse suspicor, quod a christianis sæpissime adhibitum fuisse nemo est qui ignoret.

Λιθοκόπος aut λιθοτόμος.

Εὐφημία. Haud dubium, ut videtur, nomen. Raro videtur a gentilibus esse adhibitum, sed apud christianos frequenter occurrit.

5

.....[Κοιμητήριον...]

...η]ς καὶ Ἐλει-

.....κ]ούρτορος.

Tab. I, n. 3. — Repertus prope Bacchi theatrum. Descripsi in

Museo societatis archæologicæ. — Alt., 0,10$^c$; lat., 0,25$^c$; e marmore pentelico. — Koumanoudis, n. 3554.

Locus, ut videtur, bisomus. Nomina incerta sunt : Ἐλεινός (?), Ἔλειος (?); vix enim tres litteras ante verbum κούρσορος fuisse putandum est.

Κούρσωρ deest in *Thesauro*, sed invenitur apud Johannem Chrysostomum, qui latinam verbi originem notat[1]. Cursor nuntii officio fungebatur; sed hoc nomine significabantur etiam equites levibus armis instructi[2].

## 6

[Κοιμητήριο]ν Σωσάννας ἰατ]ρ[ίνης

. . . . . . . ην πλι[σ]ιον . . . .

Tab. I, n. 11. — Repertus prope Bacchi theatrum. Exscripsi prope domum custodum Acropoleos. — Alt., 0,08$^c$; lat., 1,10$^c$; e marmore hymettio. — Koumanoudis, n. 3605; Φιλίστωρ, IV, p. 545.

Ἰατρίνη. Hanc artem nonnullæ christianæ feminæ exercuerunt quarum supersunt tituli[3]. Verbum obstetrices plerumque designat, sed et latiorem sensum aliquando usurpat[4].

..ην πλισιον... De his litteris nihil certius proferre velim. Notandum est tamen Koumanoudem hæc verba legisse : πλισίον τοῦ Ἀρχαγγέλου.

[1] Ἀποστέλλουσι τοὺς δρομεῖς, κούρσουρας καλουμένους Ῥωμαϊστί : *Homil. III in Job.*

[2] Ducange, *Gloss. med. et inf. græcit.*, s. v.; Le Blant, *Inscr. chrét. des Gaules*, t. I, p. 373, 374.

[3] *C. inscr. gr.*, n. 9164, 9209.

[4] *Thesaurus gr. ling.*, ad. v.; Ducange, *Gloss. med. et inf. græc.*, ad. v.; Foucart, *Des associations religieuses..*, p. 199-200.

7

Κοιμη]τήριο[ν

. . . .ρίου. . .

. . . .τυχ. . .

Repertus prope Bacchi theatrum. Asservari dicitur in Museo societatis archæologicæ, sed nunquam inveni. — Koumanoudis, n. 3615.

Locus, ut videtur, bisomus. De priore nomine nihil conjiciam ; alterum Εὐτυχία fuisse videtur.

8

Κοι]μητή-

ριον 'Ε]υνίκου.

Repertus prope Bacchi theatrum. Asservari dicitur in Museo societatis archæologicæ, sed nunquam eum inveni. — Koumanoudis n. 3562, qui hæc subjicit : Ἔχει ὁ κιον. οὗτος καὶ ἄνω ἐπὶ τῆς ὁρίζοντ ἐπιφανείας του ἓν μονόγραμμα.

9

Οἰκτη[ήρι-

ον Μ. . . .

λ. . . . . .

Repertus prope Bacchi theatrum, nunc deperditus. — Koumanoudis, n. 3586.

**10**

Ἰησοῦς + Χριστός.

Κοιμη-

τήριον

Εἰωάννη

καὶ Μαύ-

ρας.

Repertus prope Asclepii templum. — Alt., 0,41c; lat., 0,13c. Forma Εἰωάννη notanda est. V. supra, n. 2.

**11**

Κοιμη +

τήριον

...φηνεου.

Repertus prope Asclepii templum. — Alt., 0,26c; lat., 0,20c. — Apparent aves ad cantharum conversæ e quo serpit vitis.

**12**

Κοιμητήριον]

δια] φέρον

. . . . νατη.

+

Tab. I, n. 12. — Repertus prope Asclepii templum. — Alt., 0,29c; lat., 0,24c.

13

. . . ον. .
. . ιον 'Α-
νδρέαν.

Repertus prope Asclepii templum.

Titulus christianus videtur, sed lectio incerta est.

14

[Κοιμητήριον]
. . . . .αναγ[νώ-
στ]ου κα[ὶ
Πο]λυχρον[ί-
+ ας +

Repertus prope Odeum Herodis; nunc deperditus videtur. — Koumanoudis, n. 3599.

'Αναγνώστης. Lectoribus primum sacrorum librorum custodia committebatur, deinde eorum opera usi sunt episcopi in publica horum librorum lectione[1]. Occurrit in titulo Bithyniæ lector quidam qui et cantoris sacri officio fungebatur[2].

[1] Martigny, *Dictionnaire*, s. v.; Pelliccia, *De ecclesiæ politia*, ed. Ritter, t. I, p. 32.

[2] Θεοῦ ὑψίστου ποιμνεῖα τέρπων ψαλμοῖς τε ἁγείοις καὶ ἀναγνώσμασιν πάντας ἐθίζων. Perrot, *Mission de Galatie*, p. 65.

15

Κυμη [τή-
ριον Μ [α-
ρίνου
κουρέο [ς
κὲ Μηνα-
δίας. +

Tab. II, n. 1. — Repertus prope ecclesiam τῆς ἁγίας Τριάδος, ubi exscripsi. — Alt., 0,33c ; lat., 0,20c.

16

+
Κυμητήρι-
ον Ἐρπιδί-
ου οἰκοδό-
μου.

Tab. II, n. 2. — Repertus prope ecclesiam τῆς ἁγίας Τριάδος. Exscripsi in Museo societatis archæologicæ. — Alt., 0,32c ; lat., 0,23c ; e marmore pentelico. — Koumanoudis, n. 3559 ; Φιλίστωρ, IV, p. 544.

Ἐρπίδιος. Hoc nomen nunquam inveniri credo ; sed forsitan legendum sit Ἐλπίδιος. P enim pro Λ in quibusdam nostris titulis substitui certum est : sic ἀδερφοί pro ἀδελφοί.

Οἰκοδόμος. Hujus artis mentio in titulis syriacis christianis sæpe occurrit, sed ita ut de eis plerumque agatur qui sepulcrum exstruxerunt.

17

\+ Κυμιτίριον

| | |
|---|---|
| Παύ | λου |
| τ[ρ]ο | χαδα- |
| ρ[ί]ου | |

Tab. II, n. 3. — Repertus prope ecclesiam τῆς ἁγίας Τριάδος, ubi eum descripsi. — Alt., 0,35$^{c}$ ; larg., 0,21$^{c}$. — Magna crux in hoc marmore insculpta est cujus pars superior tantum in tabula nostra apparet.

Τροχαδάριος. Hoc verbum a nullo scriptore usurpatum fuisse puto, ita ut neque in *Thesauro* neque in Cangii *Glossario* reperiatur. Erant autem caligæ e corio caprino confectæ, quas Græci τροχάδες [1] dicebant.

18

\+ + +

Κοιμητήρι-

ον Ἀγάπης.

Tab. II, n. 4. — Repertus prope ecclesiam τῆς ἁγίας Τριάδος, ubi eum descripsi. — Alt., 0,70$^{c}$ ; lat., 0,30$^{c}$.

Ἀγάπη. V. infra, n. 26.

[1] *Thesaurus*.., s. v. τροχάς.

19

+ Κοιμητήριον Οἰνοφίλου. +

Tab. II, n. 11. — Ibidem. In lapide detrito. — Alt., 0,16c; lat., 1,12c.

20

⳨

K] οι [μ] ητήρι-

ο]ν ἐ[ν Χριστ]ῷ Ἰ[ησο]ῦ

...ου κ[αὶ] Εὐτυ-

χίδ]ος καὶ Ἐλπι[δίου

Tab. II, n. 5. — Ibidem. — Alt., 0,32c; lat., 0,19c.
V. Prolegomena, P. II, c. 4.

21

+ Κυμητή-

ριον Εὐφρα-

σείου οἱαλᾶ

κὲ Γενναδί-

ας.

Tab. V, n. 7. — Ibidem. — Alt., 0,30c; lat., 0,23c.

Εὐφράσιος. Hoc nomen ex eis est quæ quarto quintoque sæculo apparuerunt.

Ὑάλας. Verbum, ut puto, ineditum, sed quod vitrarium indicet. De hac arte apud orientales christianos, v. Labarte[1].

[1] *Hist. des arts industriels*, t. IV, p. 538.

22

\+

Κοι]μητήριον Φιλ[έα.

Ibidem. — Alt., 0,46c; lat., 0,20c.

23

Κυριακοῦ.

Ibidem. — Alt., 0,65c; lat., 0,19c.

24

\+ Κυμητήριων Ἀνδρέα καὶ τῆς αὐτοῦ [γ]αμε[τ]ῆς Γενναδίας +

Tab. I, n. 10.— Prope Lycabettum repertus. Exscripsi in Museo patissiano. — Alt., 0,22c; lat., 0,83c; epistylion e marmore pentelico quod exsculptis foliis ornabatur, nunc mutilis. — Koumanoudis, n. 3545.

Κυμητήριων. Υ pro οι sæpius, ω pro ο rarius in atticis titulis occurrit.

Ἀνδρέας. Nomen apud veteres christianos haud frequens, sed quod Athenis in quatuor epitaphiis invenitur.

25

\+

Κυμητήρι-
ον Ἀ[θ]ηνέ-
ου οἰκοδόμου.

Tab. I, n. 7.— Ibidem repertus. Exscripsi in Museo patissiano.

— Alt. max., 0,46c; lat., 0,28c; e marmore pentelico. — Koumanoudis, n. 3543.

26

\+

Ἀγάπ[η Θε-

οδούλου [Θεσ-

σαλονι[κέως

ἐνθάδ[ε κεῖται.

Tab. I, n. 8. — Ibidem. — Alt., 0,31c; lat., 0,15c; e marmore pentelico. Koumanoudis, n. 3542.

Ἀγάπη. Plures hoc nomine insignes martyres in martyrologiis inveniuntur, quarum una etiam thessalonicensis fuit [1].

Θεόδουλος. Invenitur etiam in martyrologiis thessalonicensis quidam Theodulus.

27

Κυμη-

τ]ήριον

N]ίκης.

\+

Ibidem. — Koumanoudis n. 3592, qui titulum asservari dicit in Museo Acropoleos; sed per Eustratiadem, antiquitatum ephorum, inquirere mihi non licuit.

[1] Ruinart, *Acta sincera*, p. 348, ed. Veronæ.

28

Κοιμη-

τήριον

+ Φλαβι-

ανῆς. ☧

Ibidem, anno 1849, repertus. Asservari dicitur in domo Mastorovangelis, sed vereor ne sit deperditus. — *Bull. dell' Istit. di corrisp. arch.*, 1860, p. 95; Koumanoudis, n. 3608.

29

Tab. I, n. 4. — Ibidem. Exscripsi in Museo patissiano. — Alt., 0,21$^{c}$; lat., 0,08$^{c}$; stela e marmore hymettio. Hoc fragmentum unum ex eis esse suspicor quæ sic habet Koumanoudis, n. 3619 (εἰς 3 κομμάτ.):

Ο[ἰ]κη[τ-

ή[ρ]ιον

α. . .νου

. . . .λεο

. .δος. . .

30

Οἰ[κητή]ριον

. . . . . . . .

. . . . . . . .

Ibidem. — Koumanoudis, n. 3620, qui titulum asservari dicit in Museo patissiano, sed ego eum nunquam inveni.

31

Α + Ω

Κοιμητήριον

. . . . . .

Ibidem repertus, nunc deperditus. — Koumanoudis, n. 3697.

Α + Ω. Litteram Ω ea forma fuisse in marmore exaratam affirmare nolim.

32

. . . . . . . . . . . .

α]διας τὸ καταχρί-

μα τοῦ Ἰούδα ἐχέ-

τω ὁ ἀνύξας ἐκτ-

ὸς τῶν ἐμῶν.

